



PHILIPPI BUONACCORSI CALLIMACHI
VITA ET MORES
GREGORII
SANOCEI

ARCHIEPISCOPI
LEOPOLIENSIS

RECENSUIT
ADAM STEPHIANUS MİODOŃSKI



VITA ET MORES
GREGORII SANOCEI
ARCHIEPISCOPI LEOPOLENSIS

OPTIME · DE · PATRIA · MERITVM
ATHENAEVM · IAGELLONICVM

QUINGENTESIMVM · ANNVM · NATALEM · AGENS
PROXIMIS · QUOQUE · SÆCULIS
FAVSTISSIMO · HOC · OMINE
LITTERARVM · MORVM · LVCEM · SACRAM
AVDIENTIBVS · CIUIBVS · PORRIGAT

PHILIPPI BUONACCORSI
CALLIMACHI

VITA ET MORES
GREGORII
SANOCEI

ARCHIEPISCOPI LEOPOLIENSIS

RECENSUIT
ADAM STEPH. MODOŃSKI



CRACOVIAE • A. D. MCM.



CM KEK

317584

Wpisano do Księgi Akcesji

Akc. Dł nr90/2012/.....01



PRÆFATIO.

GREGORII SANOCEI
 imago, in hoc aureo li-
 bello a Callimacho ex-
 pressa, utrum vera sit
 necne, quaeritur. Atque
 Italus aliis panegyricum
 veluti sui Iovis hospita-
 lis, cui multum debuerat,
 scripsisse videtur, aliis
 adeo persuasit, ut fere
 omnia fide digna esse
 censeant. Qui vero nuperrime docte diligenterque
 in hanc rem inquisivere, quamvis minime functi
 essent miscillionum munere, nonnulla tamen cali-
 gine offusa passi sunt. Truculentae enim hinc
 illincque ingruunt quaestiones, ad quas dissol-
 vendas, si a minutis adminiculis abscesseris, nul-
 lum Callimacho uberiolem eumque integriorem
 fontem subvenire constat. Quo magis dolore per-
 ciuntur, qui, cum nunc potissimum ad saecula vir-
 tutibus haud infesta mentem retro agant, procul
 dubio firmiorem laetitiam animum subire sentirent,
 si Buonaccorsium Archiepiscopo Leopoliensi falsas
 laudes non affinxisse ratio quaedam evinceret.
 Itaque non andabatarum more in lubricam arenam
 descendendum, sed aperto capite manus conseren-
 dae. Compellam me in exiguum quidem gyrum, sed
 tenebris adhuc obvolutum.

I.

Cum nova agmina castra in Polonia metari ac
 communire inciperent, conatus curasque dico
 virorum, qui humanitatis studiis operam navabant,
 quo loco consistentem aut quae signa tuentem facia-
 mus Gregorium? Fuitne tanta indole ingenique vi
 praeditus, ut primum pilum facile posset ducere,
 an idoneum solummodo se praestitit ad tirocinium

ponendum? Iam de hac re verius et prudentius disserere liceret, si omnia, quae scripserat Gregorius, iniuriam temporum evitassent. Sed acerrime ferenda est iactura »Historiae de evocatione Vladislai regis ad regnum Ungariae ac eius expeditionibus contra Turcos«, quam duobus libellis teste Callimacho enarraverat. Oculis etiam subductus est codex, qui eius »Orationes, epistolas et carmina« exeunte XV. saec. in parvis foliis exaratas continebat. Reliqua, nunc in iudicium vocanda, frustula, quin etiam disiecta membra appellaveris.

Duo epitaphia, Vladislai Jagellonis et Sophiae, Poloniae reginae, an. 1434 et 1461 composita, ita sunt comparata, ut verbis et sentiis habituque toto magis artem medio aevo usitatam, quam praecepta instauratorum antiquitatis sequantur. Silentio non praetereundum, iuvenilem auctorem, cum defunctum Vladislaum Pierio modo laudaret, hunc avitum morem tenuisse, ut saepius leonina, quae dicitur, consonantia disticha inquinasse non erubesceret. Ita vero desinentia hemistichia (rubuit ~ fuit; fidei ~ Dei; abnuere ~ habere) in renascentibus litteris furcillis erant eicienda. Attamen neque insitas opiniones neque rationem dicendi inveteratam, quamquam mordicus non tenebis, radicitus facile uno impetu evellas. Accedit, quod in elogio illo pangendo tantum aberat recens (an. 1433) ad gradum baccalauri promotus a peritia arteque scribendi, ut passim in quantitate syllabarum adhibenda peccaverit. Quod ne gravi vitio veritas in vestibulo Apollinis obversanti, revoces velim in memoriam posteriores alios poetas latinos, qui in gelidam Sarmatiam Musas transtulerunt. Quisnam eorum effugit plagas prosodiacas, quibus irretiti non impediabantur, quominus sublimi plectro carmina modularentur? In eundem errorem incidit aequalis temporum illorum Adam Swinka, canonicus Cracoviensis, cuius epitaphia Dlugosz libro undecimo Historiae Polonicae adiunxit. Mirum quam arte cohaerent cum elogiis Gregorii et, ut dicam,

quod sentiam, venustiore[m] prae se ferunt speciem. Edita sunt in vulgus an. 1428 et 1431, ita ut paucis annis distent a carmine Gregorii. Comparationem instituenti in primis semel prolata clausula similiter desinens occurrit (»bis quater adiunctis, fato, heu, flebili cunctis«) in epitaphio an. 1428 confecto. Qua in re magis sibi indulisit Gregorius. Ipse vero, quamquam plures id genus »cantilenas effeminatas« seriei verborum intulerat, non habuit in deliciis adsumenta, ab eloquio ecclesiastico petita, quae vel maxime revirescentis antiquitatis signiferi animo aspernabantur, auribus respuebant. Illinc decerptum flosculum exhibet Adam Swinka:

O speculum morum, castitatisque smaragde,
O lilium candens, o campi viola fragrans!

Nimirum pedetemptim et gradatim progrediuntur singula, ut in rerum natura ita in litteris, ab aliis ad alia, atque Gregorium in simili transitu saeculorum in ipso aetatis flore bonarum artium ardore captum eorum vehementer contubernia quaesivisse statuendum, qui pomeria studiorum dilatarent novisque sensibus pectora concuterent. Sed recenti afflatu ab Italia assurgente nondum totus correptus erat. Quis negaverit, Gregorium degere quasi in compito et amphibii naturam non exuisse? Hoc certe egit, ut animum et sermonem luminibus exornaret, primum tamen Gregorium »cultum ac splendorem antiquae orationis Cracoviam« induxisse, Callimachus nobis non persuadebit. Dicet aliquis: haec igitur est auctoritas Callimachi? Ne in scirpo nodum quaerere videar, non tantae licentiae commentendi convincam Callimachum, ut toto caelo errasse autumem. Veri enim simile est, Gregorium, cum Cracoviae Vergilii Bucolica interpretaretur, excitasse audientes (quantum ipse poterat) ad imitationem profanorum scriptorum, ut hoc modo ieiunus sermo latinus, qualis tunc praevalebat, suco ac vigore reficeretur. Cum iam longius aetate provectus (an. 1474) contra Gabrielem, episcopum Agriensem, Polonorum obtrectatorem, car-

men contexeret, artem scribendi excoluisse ornamentaque sermonis auxisse conicere potes ex fragmento, quod felici casu Zeissbergius repperit et una cum invectivis versibus Gabrielis divulgavit¹.

Longum est enumerare omnia congesta argumenta, quibus innixus puto, Callimachum non nihil contulisse ad augendam amplificandamque veram Gregorii effigiem ac indolem. In rebus gravioris momenti propiorem esse vero, in aliis licentia fingendi abreptum in melius aberrare contendo. Comprobabo alio loco, ubi praeter observationes de patria, de oratione prosa et dictis memorabilibus Gregorii, de interpretatione Vergilii, quam instituisse Cracoviae dicitur, de commentario doctoris Dąbrówka similibusque, etiam adnotationes criticas subiciam, ut lectiones ab editione L. Finkeli (Monum. Poloniae hist. VI 163—216, Cracoviae 1893) discrepantes probentur. Moneo, me uncis quadratis spurria, uncis acutis a me addita vocabula significasse.

II.

Magnam amicitiam Gregorium cum Callimacho coniunxisse, ex opusculo ipso colligitur, ut alia omittam. Ex qua familiaritate fructus utrumque percepisse, mutuaque sibi synnavos auxilia et officia impertivisse in mente conformanda, luculente docet epistula Callimachi ad Arnolphum Thedaldum, qui tunc in Polonia commorabatur. Quare liceat ad fidem codicum (Vatic. lat. 5156 aliorumque) emendatam hic ponere:

Claro et ornato viro Arnolpho Thedaldo Florentino,
fratri optimo, Philippus Callimachus felicitatem dicit.

»Licet mihi pulcherrime Zenonis dictum illud usurpare, qui, postquam sub Cratete Athenis eo philoso-

¹ Zeitschr. d. Ver. f. Gesch. u. Altert. Schlesiens, X. 373 squ. (Vratislaviae 1870). Primum distichon apud Gregorium ita legendum:

Garrula lingua tace, nec sensu nec ratione
Illa valent, tantum verba pudenda vomis.

Adhuc desideratur Corpus nostrorum epitaphiorum aliorumque carminum latinorum medii aevi.

phiae pervenisset, ut princeps atque auctor esset Stoicae disciplinae, aiebat secundis ventis se navigasse, quod apud Piraeum naufragium passus, amissis rebus omnibus, inde ad philosophandum se contulerat.¹ Nam ego infelici fato actus, post peragrata universam Graeciam, Cretam, Cyprum, Rhodum, Aegyptum et Aegaei maris insulas quam plurimas, Thraciam etiam ac Macedoniae partem, ad te tandem veluti perfugium errorum meorum metamque aliquam cum devertissem, repente oborta est nefariorum hominum opera et insimulatione veluti tempestas quaedam², quae naufragum atque extra omnem salutis spem positum me apud hunc summum virum patremque amplissimum **Gregorium Sanoceum, Leopoliensem Metropolitam**, eiecit. Quae res in primis adeo mihi gravis et acerba fuit, ut longe melius actum fuisse mecum existimarem, si aut ante infelicem casum meum rebus humanis excessissem, aut omnino nunquam in illis fuisset. Sed postquam gravitas, comitas et elegantia praestantissimi huius viri mihi fieri coepit familiarior, repetebam aliquando memoria calamitosa illa peregrinationis meae tempora, in quibus cum viderem me a bonarum artium cura et exercitatione adeo afuisse, ut studiorum et vigiliarum mearum tantum velut umbra quaedam apud me maneret, revocato paululum animo a cogitationibus illis, quae me a bonis disciplinis abalienaverant, tota mente et attentione in vitam et mores huius summi viri conversis oculis, velut in speculo, intueri licuit, pauca in vita mihi secundo voto felicius, quam hoc adverso contigisse. Nam cum ambitio et corrupti mores temporum nostrorum me, ut pleros-

¹ Cf. Seneca, Dial. 9, 14, 3: Nuntiato naufragio Zenon noster, cum omnia sua audiret submersa: „iubet, inquit, me fortuna expeditius philosophari“. Cf. L. Sternbach, Gnomol. Vat. 299.

² In conventu generali Piotrkoviae an. 1470 celebrato accusatus erat Callimachus, "quod in exitium Pontificis summi, Pauli II, conspirationem conflavisset" (Acta Tomiciana I, Appendix pag. 1).

que alios, a vera virtutis norma retraxissent, iuvenilem animum adeo illexerant, quod, nisi hoc, ut prius existimavi, adversi mihi feliciter obvenisset, eo me praecipitem egerant, unde in veram viam nulla esset facultas redeundi. Sed iam nunc Deo optimo, maximo, gratias immortales agere libet, qui, quam in secundis rebus videbam minus, in adversis mihi verae vitae rationem demonstravit, meque apud eum virum collocavit, qui propter egregiam eloquentiam doctrinamque eximiam non solum verbis me monere, sed etiam propter vitae frugalitatem et modestiam exemplo facile edocere potest et ad quid nati sumus et quibus rationibus aetatem agere oporteat. Nam cum in eo sint ea omnia, quae a mortalibus inter prima nuncupantur, valetudo, dignitas, divitiae et apud populos multa et praecipua existimatio, propter quae et in republica posset non sine maxima auctoritate versari et hominum favores splendidissime aucupari his omnibus studiis, quae abusus temporum iam dudum laudabilia effecit: mavult cum ratione privatim et in quadam parsimonia aetatem agere, quam corruptae vulgarium opinioni satisfacere et omnia illa tempora, quae in republica partim necessario, partim ostentatione teruntur, studio et lectione traducere. Nam cum ad eum gradum doctrinae iam dudum pervenerit, ut omnibus aliis facile satisfaciat, usque adeo assiduis lectionibus noctes diesque incumbit, quasi usque ad hanc diem nihil sibi didicisse videatur. Quae cum mecum longa meditatione semel atque iterum tacitus reputarem, difficile dictu est, quanta oblivio earum rerum, quae me sollicitum habuerant, animum incesserit, quantumque coeperit in mente mea suscitari ardor ille studiorum, quem flagitiosissima tempora aetatis nostrae pacne exstinxerant. Itaque, ut omittam ea, quae assidua deversatio apud talem virum mihi in mentem reduxit, in dies tam multa, quae nunquam didiceram, percepi, ut bene cum illis priorem fortunam meam commutasse dicam et iam dudum felici fato huc adventasse procul

dubio censeam. In quo quidem loco pro caducis et momentaneis quibusdam, quorum fortunae benignitas usum penes me collocaverat, ea nactus sum, quae nulla vis, nulla humana auctoritas mihi auferre poterit. Possem, suavissime Arnolphe, multa et praeclara, tam in divinis quam in humanis rebus, tibi recensere, quae nescio duriusne mihi fuerit didicisse, quam iucundius ab eloquentia huius viri disputari audisse. Mirabile est enim ac propemodum divinum quiddam intueri, quantum etiam ex tempore et in domestica confabulatione ingenium ipsius in abditissima sensuum et arcana rerum altissima penetrat atque ascendit. Sed ut severa illa et gravia, ita legenti tibi nihil voluptatis allatura. Et proinde, cum te in partem huius meae cum libris reconciliationis vocare instituissem, vellemque apud te saltem testatum relinquere, quantum sapientiae ac doctrinae huius summi viri debeam non eo quod ab insidiis malitiosorum hominum me liberaverit, sed quod ab mente, quod ab ingenio robiginem illam abstersit, quae animum meum ita caligaverat, ut molestius ferrem a patria, quam a virtutibus exsulare — nec quidquam invenirem ex disputationibus, quae frequentes inter nos fuere, quod te et aetate tua dignum censerem, quippe quod omnia ardua, difficilia et supra ingenium nostrum excellentia ex ore tanti viri tum propter aetatem, tum propter doctrinam emanant: converti oculos ad particulares exercitatiunculas meas et inter alia vidi nonnullas elegias, quas ad **Fanniam Sventocham**¹ hoc anno perscripsi easque in unum collegi et ad te mitto. Fuit enim ipsa mihi solatium ac relaxatio quaedam animi, quotiens vel gravitas vel difficultas rerum, quae a sapientia huius viri in dies audio, me oppressisset.

Scribebam Cracoviae, mense Ianuario an. MCM.

¹ Has elegias cum reliquis carminibus Callimachi proximo tempore sum editurus.

PHILIPPI BUONACCORSI CALLIMACHI

VITA ET MORES
GREGORII SANOCEI

ARCHIEPISCOPI LEOPOLIENSIS



REVERENDISSIMO Domino Patrique amplissimo, Sbigneo de Olesznycza, bene merenti, Episcopo Vladislaviensi, Callimachus s. d.

Ea, quae breviter conscripsi de moribus ac vita eius viri, cuius facta, tuendo me ab hominibus sceleratis, non solum imitatus es, sed propemodum supergressus, a te inprimis legenda existimavi, ut ex-

inde colligas beneficium tuum apud eum hominem collocasse, qui gratissimus esse consueverit et qui vel hoc uno genere officii parem, atque illi, gratiam tibi referre possit ac velit. Sed et dignissimum erat, ut illius tota vivendi ratio tibi cognita foret, cuius particulam optime teneres. Legas itaque grato animo ea, quae summa gratitudo et a me scribi et ad te mitti persuasit, gratulerisque tibi, quod, ut ceteras omnes actiones tuas ab imperitis popularibusque ingeniis sapientissime seiunxisti, ita in hac una unum <omnium> omni genere virtutis praeditum, cui te conformares, elegisti. Sed et patriae nationique tuae non mediocriter gaudeas, quod immortalis Dei beneficio tali tantoque viro ornata est, qualem, si aut Graecia aut Italia protulisset, veluti lumen atque ornamentum coluisset.

Quod vero ad omen vitae attinet, quae veluti de mortuo scripta est, cum vivat felicissime ille, de quo scribitur, immortalis Deus vertet in melius et, quod sua benignitate dignum est, multos annos id verae virtutis exemplar conscrvabit. Sed et fieri consuevit, ut vivorum facta sic litteris mandarentur, si modo digna essent, quae posteris innotescerent. Praeterea, cum supersit adhuc et in notitia hominum versetur ille, cuius facta describuntur, nulla est licentia fingendi commentiendique laudes, quarum vanas adulationes res ipsa detegeret ac retractaret. Reliquum est, ut quem praeter omnes sapientissime de me sensisse hoc facto tuo confessus es, in ceteris quoque cum commendatione imi-

tari posse intellegas, praesertimque in servitutis meae solatiolo tuendo ac benignissime tractando. Id enim, quod Fanniella fuit in exilio meo, id nunc est Drusilla in servitute¹. Illud tristissimum, hoc infimum gradum miserandae fortunae obtinet, utrumque calamitosum, utrumque miseratione dignissimum, ac proinde quocumque genere solatii merito relevandum. Vale.

I. Gregorio Sanoceo nobilitas ex utroque parente fuit. Natus est in Sarmatia, non procul a fonte Istulae, in pago ignobili, in quo infantiam exegit. Puer una cum patre in vicinum oppidum migravit coeptusque est erudiri. Duodecimum annum agens fortunae se commisit, duriora quaeque tolerare paratior, quam paternam acerbitatem, cui ferendae impar cum esset adversari nefas putabat. Itaque, prout eum ferebat impetus, modo hanc, modo illam civitatem adiens, nusquam perseveravit, donec Cracoviam venit. Ibi aliquamdiu substitit litterisque operam dedit. Mox, cum publica omnia et privata negotia germanica lingua tractari animadvertisset, in Germaniam ultra Albim fluvium penetravit, brevique tempore propter versatilem linguam ita externo idiomati se accomodavit, ut exinde dubium fuerit patriumne an peregrinum sermonem concinnius pronuntiaret. Quinquennium ea in peregrinatione absumpsit, quo tempore diversis in civitatibus, cum doctus apprime iam esset, litterario ludo praefuit, perque discipulorum mercedes alimenta vestemque ac cetera humanae vitae necessaria conquisivit, cum interea nihil a domo subveheretur sibi. Sed et peculiarem quaestum in dextra habuit exscribendo libellos, discipulis necessarios, in qua re plurimum excelluit. Nam praeter id, quod proprio modo litterarum characteres expressit exactissime, cuiuscumque chirographum, cum volebat, facile imitabatur. Quae facultas, si depravato cuius-

¹ Cf. H. Zeissberg: Die polnische Geschichtschreibung des Mittelalters. Lipsiae 1873 p. 384. 398. Carmen, quo Drusilla celebratur, alias edidero.

piam ingenio contigisset, potuit errores inextricabiles et iacturae plenos inter mortales excitare. Fuit etiam illi naturalis quidam affectus ad musicam, cui propemodum natus videbatur, siquidem percipiendis disciplinae illiusmodi praeceptionibus ingenio promptissimo erat: ad modulationem vero vocem habebat elegantissimam, quippe solidam et sonoram, et in qua non minus suavitatis esset, quam splendoris. Ea res plurimis in locis magno usui illi cessit et honori. Nam quos in admirationem sui propter litteraturam non adduxisset, musica attrahebat. Sed inprimis redeunti Cracoviam vocis splendor ac modulandi ratio profuit. Namque ad id tempus ea civitas theologiae potissimum dedita, omissis fere ceteris disciplinis liberalibus, musicam inter prima ducebat, cuius maxime opera divinae caerimoniae quam sollemniter procurarentur. Itaque in ipso initio reditus sui Gregorio plurimum ab omnibus Cracoviae tribuebatur, quia ea in arte excellabat, cuius praesertim studio civitas teneretur. Ceterum ille mox novam de se admirationem apud omnes excitavit.

II. Coepit enim Bucolicon carmen Vergilii publicus interpretari, cuius [et] nomen [et auctor] ad eam diem extra omnium notitiam ea in regione fuerat. Tanto itaque consensu novitas rei ad eum audiendum homines atraxit, ut nemo fuerit, qui modo litteras nosset, qui non ad ipsius auditorium conveniret. Una erat vox inter omnes litteratos, tunc primum eis lumen illuxisse, cuius beneficio ad verum iter doctrinae progrederebantur, cum antea, deviiis erroribus impliciti, citius consenescerent, quam ad laborum suorum fructum aliquem discendo pervenirent. Primus itaque sordem ac squalorem, quem recentiores grammatici discantium ingeniis offuderant, detergere orsus, cultum ac splendorem antiquae orationis Cracoviam induxit, tanto omnium favore, ut non modo praeter spem, sed etiam praeter voluntatem suam fuerit mox in disciplinis liberalibus magister declaratus,

cum re vera nondum eas artes attigisset, per quas ad id tituli pervenitur, sed circa rhetoricam et poesim, cui naturaliter affectus erat, ingenium continuerat et supra quam pateretur illius temporis ac regionis incondita doctrina in utraque facultate profecerat.

III. Absolutis Bucolicis aggredi Georgica destinauerat, sed accitus a Tarnoviensi domino institutum omisit, cumque id oneris frustra a se deprecari conatus esset, ipsius filios erudiendos recepit. In ea cura carmen excudere orsus versiculos nonnullos edidit, inter quos epitaphia, per quae avum patrumque discipulorum suorum defunctos aeternitati commendavit. Quae res, ad ea tempora insolita, sic omnium animos grata quadam novitate pellexit, ut mox rege Vladislao vita functo non mediocri ambitu optimates regni a Gregorio impetraverint, quod epitaphio regem exornaret. Ipse, cum aegre pateretur abesse a consuetudine doctorum hominum, post mensium nonnullorum moram persuasit, ut una cum discipulis Cracoviam mitteretur, ubi propter librorum copiam, litteratorumque hominum frequentiam non solum melius, sed facilius etiam possent erudiri. Dum itaque Cracoviae ageret, et discipuli propter egregiam nobilitatem suam quotidie apud regulos Vladislaum et Casimirum deversarentur, factum est, ut non solum in notitiam regulorum verum etiam in amicitiam venerit, a quibus maxime propter doctrinam et dexteritatem ingenii diligebatur. Sed inprimis erat illis admirationi scriptura ipsius, cuius dignitate et decore capti, prout animus concupierat, modo haec, modo illa sibi exscribenda tradebant.

IV. In eo veluti faventis fortunae cursu, cum par apud omnium ordinum homines propemodum de eo vigeret exspectatio, quam vitae ac morum elegantia quadam quotidie augere conabatur, confugit ad eum frater minor natu, quem propter sordidum ingenium pater, alioquin difficilis, abdicaverat. Nusquam alias visa tanta disparitas animo-

rum: in isto summa modestia, praecipua vitae ac morum integritas, virtutis eximium studium, vitiorum immortale odium; in illo undique luxuria eminebat, vita et mores corruptissimi, nullius virtutis cura, et omni genere vitiorum contaminandi se velut ardor immodicus; congruebatque tam pravo ingenio sordida et vilis vestis ac ceteri habitus foeditas squalorque in toto corpore adeo, ut nihil aeque appareret inquinatum Gregorii splendorem, quam si fratrem agnosceret. Ipse tamen satis certus nihil ad se pertinere, quicquid natura cum fratre egisset, illum benigne susceptum pauculos dies apud se habuit. Mox divisa cum eo parte rerum, quas labore et industria sua conquisierat, dimisit asseverans, multo plus tribui pro tempore oportere naturae viribus, quam vanitati blandientis fortunae: hanc levem et commutabilem, illam stabilem et perpetuam esse. Cumque quidam mirari se diceret, quomodo fieri posset, ut iidem parentes tam diversae naturae filios procreassent, inquit: in eodem frutice spina et rosa nascitur.

V. Eodem tempore casu ad manus eius devenere
 • satirae Iuvenalis, quas cum studiose legeret, in illud incidit:

Lectus erat Codro Procula minor, urceoli sex,
 Ornamentum abaci, nec non et parvulus infra
 Cantharus, et recubans sub eodem marmore Chiron.¹

Et paulo infra:

Nil habuit Codrus, quis enim negat? et tamen illud
 Perdidit infelix totum nihil²; et cetera.

Ex quibus ingeniosus iuvenis ilico animadvertit doctorem Dambrowka, qui tunc in Polonorum historias commentaria scribebat, statim in prooemio ipso, ubi de Codro mentio est, errasse; exposuerat enim, tanquam de Codro Atheniensium rege auctor³ meminisset, quae sententia maxime abhorrebat ab iis, quae sequuntur. Itaque rem ac iudi-

¹ Iuven. III, 203—5.

² ibidem 208—9.

³ Vincentius Kadłubek. .

cium suum detulit ad doctorem, eoque invento tantum docto homini persuasit, ut illius modi errore emendato, ille in posterum cetera, quae scripsisset in eisdem commentariis, priusquam ederet, semper Gregorii iudicio et castigationi subiceret. Ceterum non ipse solum, sed <et> reliqui omnes litterati tantum illius ingenio tribuebant, ut quicquid incognitorum librorum ab aliquo inveniretur, ad eum, tanquam cui omnia facilia interpretatu essent, portaretur. Itaque inter libellos, qui quotidie multi sibi offerebantur, invenit nonnullas Plauti comoedias, quarum lepiditate atque ingenio adeo delectatus est, ut praeter id, quod earum lectioni quotidie operam dabat, coeperit et ad illarum imitationem novam comoediam scribere.

VI. Quam exercitationem interrupit postea coactus Italiam petere ad impetrandam curam ecclesiae, tunc casu vacantis. Nam, qui iam pridem ducendae uxori parum se idoneum a natura sentiret, sacerdotio se mancipare instituerat. Itaque cum vacaret ecclesia in salinis regiis, quae prope Cracoviam sunt, suadentibus amicis atque id impensius efflagitantibus Bononiam petiit atque inde Florentiam se contulit ad Eugenium Pontificem Maximum, qui Roma pulsus a Florentinis propter ipsorum singularem pietatem in religionem non solum susceptus fuerat, sed quam honorificentissime habebatur. Ibi cum voti compos factus esset, vix, ut regrederetur in patriam, extorsit a quam plurimis, qui suadebant ei remanere in collegio musicorum Pontificis et nolentem propemodum vi retinere procurabant.

VII. Adepta illius ecclesiae possessione, multa, quae negligentia priorum sacerdotum domi atque ruri obsoleta erant, instauravit, coepitque commissum sibi gregem dirigere in semitas Domini verbo et exemplo, sed utro magis, merito dubitari potest. Nam neque in vita quicquid erat, quod non cum summa commendatione posset imitari, neque sermoni, cum populo evangelium interpretaretur,

aliquid deerat, quod ad persuadendum esset accommodatum. Ceterum eius animo inerat libertas quaedam naturalis, neque metui neque cupiditati obnoxia, sed honestatem appetens et ab omni turpitudine abhorrens: non secundis rebus extollebatur, non adversis muliebriter succumbebat; denique praeter virtutem vilem turbam rerum ceterarum existimabat. Somni et alimentorum nulla cura, nullus apparatus: neglegens verius, quam frugi dici poterat. Habitu etiam haudquaquam egregio utebatur, sed qui frugalitati vitae congrueret. Facilis ad cum aditus omnibus erat, nec minus ipse facile, quo voluissent amici, circumducebatur. Conveniebant ad cum ex Cracovia propter loci vicinitatem quotidie complures docti viri, nec infrequentius ipse civitatem intrabat, recipiebat se ad loca disputantium aut legentium et quae in rebus sentiret, tam libenter proferebat, quam aliorum sententias audiebat.

VIII. Dialecticis raro congregiebatur, superstitiose non ad verae doctrinae usum ea in facultate homines erudiri asseverans; cui tantisper operam dandam putabat, dum circa solidam rerum cognitionem versatur, in reliquis refutandam esse, nihil enim in se continere, nisi vigilantium insomnia. Medicinam anteponendam ceteris doctrinis ac veluti secundam naturam venerandam censebat. Primam enim illam omnium parentem, naturam corpora tantum creare, istam conservare atque, ubi prima peccare in aliquo coeperit, praesto esse et emendare; ad extremum succurrendo illius imbecillitati multa corpora medicinam reddere diuturna, quae, quantum attinet ad naturam, iam perierant. Et profecto nisi artem illam professioni suae parum congruere iudicasset, omissis ceteris disciplinis medicinae tantummodo intendisset. Illos, qui novos grammaticos legebant omissis veteribus, similes esse aiebat aegrotis, qui ab omnibus salutaribus abhorrent, contraria vero ap-

petunt et sequuntur. Alexandri¹ praeterea praeciputiones discentium appellabat labyrinthum, in quo semel immissi per multivii circuitus ambages suamet vestigia flexuoso gressu recalcentes conenserent, priusquam unde egrederentur invenirent. Poetarum lectionem tam pueris necessariam quam alimenta dicebat: istis nutrirī corpus, illis ingenium. Eos autem, qui ad alias disciplinas sine adminiculo poetarum accedere conabantur, comparabat volentibus per murum transcendere in civitatem spreta porta, quae pateret. Possibilis esse asseverabat, ut per poesim reliquae omnes disciplinae perciperentur, quam quod imbutus omnibus aliis posset aliquis ad poesim, cum vellet, pervenire; non tamen unquam rhetoricam ab illa separandam censuit. Sed sic utrique operam pariter impendendam, ut medicus, qui cum exulceratae carni medicamenta apponit, nihil adhibet, quod aut os aut nervum laedere possit, sed aliud curans alterius quoque rationem non omittit.

IX. In ebriosum, qui consumpto patrimonio venalem aquam circumferebat per urbem, sic iocatus est: si potuisses aquam ferre, nequam ferres. Scortum annosum ac praedives hoc disticho compellavit:

Nunc emit, at quondam vendebat basia Doris:

Non bene quaesitas sic male perdit opes.

Cuidam per laudes efferenti uxoris pulchritudinem: tace, inquit, nam, si credetur tibi, cogeris aliquando turpem maluisse. Cum videret cuiusdam suburbanī agricolae filium sacris initiari: ne araret, inquit, orare instituit. Accipiebat amicos modico aut nullo apparatu, quod quidam indigne ferens splendidius se domi prandere dixit. Ille lumen afferri iussit et apposita candela splendorem mensae addidit. Erat enim praesentis ingenii ad iocos et lepiditates, in quibus exercendis semper modestiae rationem habuit; cumque alios libenter iocis laces-

¹ „Doctrinale“ Alexandri de Villa Dei (Villedieu), grammatici.

seret, non minus aequo animo in se dicta ferebat. Ebriosi filio obicienti, quod ex paterno instituto vilem cenam apposuisset, ait: ego ut pater meus comedo, tu ut tuus bibis. Dicentem iocum in pallium suum, quod sordidis maculis distinctum vicem nebridis in bacchanalibus implere posset, hoc dicto compescuit: facilius est ablutio pallii, quam animi. Erat enim ille multis coinquinatus flagitiis. Exprobranti cuidam, quod paternam disciplinam ferre non potuisset: ego, inquit, in aliena domo ita vixi, ut in paterna videar educatus; multi apud patrem sic degunt, ut apud quemvis potius, quam sub paterna disciplina, nutriti appareant. Claudum maledicum lingua debilitari, non pede oportuisse, ait. In eum, qui rerum suarum custodiam lusco commiserat, distichon tale edidit:

Qui videt unoculum cernentem singula solem,
Non errat lusco credere quicquid habet.

Nonnulli improbi et malefici homines, credulos ac simplices elusuri, fingebant se a malo daemone vexari eaque fallacia procaciter quasi opem implorantes consistebant in templis, ut quaeque insigniora essent aliqua praecipua religione atque ob id magis quam cetera frequentarentur. Quo astu non modicas pecunias a miserantibus ementiebantur. Cum itaque in ecclesiam Gregorii abusu se recepissent, ille per varias captiosasque interrogationes deprehensa quaestuosa fallacia mox verberibus veritatem extorsit humanitusque servavit eos, qui divinam opem cludebant.

X. Interea Vladislaus, qui iam post patrem apud Polonos regnabat, ad regnum Hungariae accersitur. Qui, tum memor consuetudinis, quae, dum puer erudiebatur, Gregorio apud se fuisset, tum percitus fama, quae de virtute atque integritate hominis circumferebatur, eum dignissimum iudicavit, quem non solum in humanis rebus consiliorum participem haberet, sed in iis etiam, quae ad religionem et pietatem attinent, conscientiae suae arbitrum deligeret, cuique placandi conciliandique

sibi Deum immortalem per sacrificia caerimoniasque alias maxime curam crederet. Id munus Gregorius, qui secundum Deum regibus illius nutu imperantibus sciret obtemperandum, recepit, atque inter initia suscipiendi Pannonici regni gubernacula, cum pars optimatum ad reginam viduam descivisset, ex magna parte consilio et prudentia sua, quibus modis intestinae simultates sopirentur, invenit. Duxit deinde rex bis expeditionem contra Turcos et in prima quidem, cum iam in inferiori Mysia, ultra Cyambrum amnem, ad radices Haemi montis castra haberet, postulantibus Turcis, condiciones ac pacem decennem dedit. In qua pacificatione, cum Turci peterent et Iulianus cardinalis suaderet, quod in sollemni sacrificio rex tacta Eucharistia iureiurando affirmaret se cum suis foedus servaturum, ne id fieret, Gregorius se opposuit, impiissimum facinus esse asseverans, si sacrosantum religionis nostrae arcanum profanorum oculis subiceretur, nihil nefastius committi posse, quam adhibere Deum non modo testem, sed intermedium etiam foederis, quod cum inimicis suis iniretur. Regiam fidem regio verbo stare debere; multumque maiestatis integritati regiae detrahi, si sine iuramento ei non credatur. Alias privatorum esse cautiones alias principum et tamen id iuramenti genus a privatis non exigi. Ad extremum abiturum se et profanata castra relicturum, si rex eo modo iurare perseveraret. Pervicit itaque, ut aliter caveretur de fide foederis, quamvis repugnante Iuliano, qui magis ne temere suasisse videretur, in sententia persistebat, quam <quod> non intellegeret vera esse, quae a Gregorio dicebantur. Ceterum cardinalis, qui maius scelus putabat inventum esse aliquem, qui opinioni suae adversari auderet, quam iusiurandum, quod ipse obeundum regi impie suadebat, implacabilem adversus Gregorium iram concepit animo, quam evomendi mox fortuna materiam suggessit.

XI. Nam cum de secunda expeditione ducenda ambitiosissime apud regem ageret, videre-turque rex arma iterum sumpturus, si religione promissae fidei solveretur, in qua re Gregorius inexorabilem se praebebat, et regi aliorum facilitas suspecta erat, non dissimulavit ulterius Iulianus iracundiam adversus Gregorium, sed palam superstitiosum hominem, rerumque divinarum imprudentem ac rudem dicere incepit, ad extremum religionis inimicum, quasi esset impedimento, quominus impii delerentur. Nec defuere minae vinculo-rum et carceris, si diutius in difficultate perseve-raret. Sed neque auctoritati ipsius neque minis Gregorius primo cedebat. Sed, ut non obligandam fidem barbaris, ita, ubi obligata esset, servandam dicere; sanctitatem foederum non verbis sed accipientium intentione constare; ad civilia negotia verborum cautionem pertinere, non ad religionem; non qualiter datum, sed qua mente acceptum foedus atten-dendum; nullum dolum Deum probare, affuturum-que illis, qui fidem coluissent. Sed cum videret pae-ne omnes in sententiam cardinalis ire nullamque fidem esse posse inter pios et profanos passim asse-verare, et iam regis quoque animus inclinaretur, e medio se surripuit. Tum cardinalis, ut aiebat, se-dis apostolicae auctoritate regem non tam iurisiu-randi religione solvit, quam periurio implicavit. Ceterum Gregorius iubente rege amicisque id impensius efflagitantibus coactus est ad officium suum redire.

XII. Rex vero ad poenam pollutae religionis veluti quodam fato accelerans, congregato exercitu, quam maxime potuit numeroso adiunctis-que sibi collecticiis copiis, quae sub cruce gratis militabant, non procul ab eo loco, ubi foedus prius percusserat, Haemum superavit et per mediam Thraciam, ad dextram inclinans, ubi ad Rodopem pervenit, inter Nissum Hebrumque amnes magnis itineribus ad mare properabat. Erat ei animus con-iungendi copias terrestres cum maritimis, quae in

Hellesponto cum classe ipsum praestolabantur, sed rapientibus in diversum fati, omisso ad sinistram Hellesponto, ad Aegaeum exercitum circumagebat. Interea Turci, freti occasione, ingenti mercede conduxere lanuenses naves ad reportandum in Europam copias, quas, ut litora tutarentur a christiana classe, quae illuc appulerat, in Asiam transmiserant. Nec mora, nihil tale suspicanti regi prope Bistoniam paludem sese obiecere. Ibi commissum infaustum illud proelium, in quo alieno fortasse scelere, sed suo suorumque damno, rex interiit.

XIII. Gregorius cum reliquis sacerdotibus, quibus nefas esset pugnae interesse, ex mandato regis in proximum collem a principio se receperat ibique pro suorum victoria suppliciter ad Deum agebat. Cum vero nonnullos circa regem foedam moliri fugam ipsumque in periculo destituere videret, frustra saepe inermes et bellorum artis rudes sacerdotes animare conatus est, ut sua corpora pro regis salute opposituri descenderent. Accursurusque erat solus, non ut opem ferret — quid enim unus et inermis inter tot armatos poterat — sed cum illo quam honestissime occumberet. Verum repente undique coepta fuga, regem quoque ipsum e conspectu abstulit. Itaque cum et reliqui sacerdotes fugam molirentur, Gregorius quoque magis crudelitatem mortis et membrorum cruciatum vitans quam de vita sollicitus, ut fit in re trepida, fortuitum iter intravit. Nec procul a loco pugnae nudum vulneribusque ac tabo deformatum cardinalem invenit in palustri caeno animam exhalantem, cui obequitando ait: merito tu quidem, sed solus, sic perire debuisti, ausus sedem apostolicam perfidiae patronam dicere ac facere. Sed iam malo tuo expertus es, non verba sed voluntates hominum Deo cordi esse.

XIV. Forte vir aetatis suae impigerrimus atque omni honore verborum a posteris memorandus, Ioannes de Hunyad, se ad Danubium eodem itinere recipiebat, quem, utpote regni gubernana-

torem, profligati exercitus naufragia quaedam sequebantur. Is Gregorio plurimum afficiebatur, tum ob alias virtutes tum ob animi magnitudinem et constantiam, qua ipsum peieraturo regi cardinalique ac ceteris id suadentibus viderat adversatum. Nam et ipse pro fide servanda multa et graviter dixerat. Eamque ob causam cum <in> multitudine temere confluentium et, ut in re desperata, tumultuantium vix tertia aut quarta die Gregorio navigii copiam futuram appareret, in sua scapha ipsum recepit et in altera fluminis ripa deposuit. Ceterum, ne fama acceptae cladis regni quietem turbaret, relictis ceteris, inter quos Gregorius, non sine incredibili celeritate cum paucis expeditis nuntium primum et male gestae rei rumorem praevenire instituit. Gregorius vero, qui tam miserabili suorum cladi nefas quodammodo se superesse putaret, primo quidem in patriam redire constituerat. Deinde considerans, quemadmodum sine suarum calamitatum memoria Polonorum oculis obversari non poterat, praesertim reginae, quae sibi maxime in dimittendo a se filio eius salutem commendasset, instituit aliquamdiu abesse, ut medio tempore recens dolor emolliretur, vulneribusque tunc intracabilibus et cruentis aut ratio aut humanarum rerum aliqua vicissitudo succurreret. Itaque in Ungariam rursus se recepit, cuius quidem illuc reditus multis carus fuit, sed inprimis gubernatori, apud quem omnium rerum summa remansit extincto Vladislao. Itaque statim curae ac disciplinae Gregorii filios suos, Vladislaum et Mathiam commisit, inter primas ipsorum felicitates ducens, quod eis ab illo viro erudiri contingeret, qui regis mores ac vitam temperare consuevisset. Id negotii propter amplitudinem patris Gregorius libenter suscepit et mira quadam dexteritate ac diligentia pueros illos ita erudiebat, ut tam de moribus, quam de doctrina eorum iam tum optime sperari posset.

XV. Praeerat tunc in Varodinensi ecclesia omnium episcoporum laudes transgressus

doctrina et vitae ac morum elegantia Ioannes Gara, qui postea merito translatus est ad metropolim Strigoniensem. Is omnibus modis allicere ad se Gregorium studebat, sed non prius id assequi potuit, quam gubernatori persuasisset commodius filios erudiri posse per hominem patriae linguae, quam a peregrino. Factus itaque Gregorii potens, praeter alia munera, quibus propemodum ipsum ditavit, offerente se occasione ilico in collegium canonicorum suorum admisit, ut non solum commode, sed cum aliqua etiam dignitate apud se esset. Exinde semper consiliorum participem studiorumque socium et adiutorem habuit; adeoque hominis ingenio et moribus delectabatur, quod non solum mensam sed cubiculum quoque fecerit ei commune. Gregorius ipse statim omnium collegarum favores solita ingenii dexteritate promeruit. Quorum nonnullos, prout vita excessissent, oratione aut epitaphio exornavit. Episcopo vero ita obtemperabat, ut <ille> inter res maxime adversas numeraverit postea Gregorii ab se separationem.

XVI. Erant ibi eodem tempore duo viri eruditissimi, Paulus Vergerius et Philippus Podochatherus, qui ob diversam necessitatem — ille Italia, iste Cypro relicta — contulerant se ad eundem episcopum, veluti ad confugium honorum omnium ac litteratorum asylum, quotiens calamitas aliqua ingruisset. His studia et morum similitudo facile Gregorium coniunxit, valuitque ad conciliandam amicitiam in tanta nationum diversitate idem erga bonas disciplinas affectus. Sed quamvis in eis par doctrina esset, non eadem scribendi ratio erat: nam Paulus quidem oratione plurimum valebat, Philippus pangendo carmini erat accommodatior. Itaque Gregorium, qui utrique generi scribendi se conformare studebat, prout cuiusque ferebat ingenium, alter versiculis, alter oratione provocabat. Exercitationum vero ipsorum iudex accedebat episcopus, sed et plerumque ipse alicuius partes suscipiebat, eodemque genere exercitationis ingenium excole-

bat. Nullus locus, nulla mensa, nulla vigilia, nullum tempus sine honesta confabulatione transigebatur, in quocumque sermone prima erat de doctrina ratio. Itaque nihil eo contubernio dignius, nihil sanctius esse poterat; omnes sermones aut de virtute aut ad virtutem instituebantur. Procaces et impurae fabellae dicacitatesque obscoenae, quibus plerique alii velut animum relaxaturi dant operam, illic pro nefario crimine habebantur, tanquam praeludium aditusque aliquis ad facinora; nec putabant fieri posse, ut mens illius pura maneret, cuius lingua et verba essent impurissima. Erat itaque operae pretium intueri episcopum cum tam probis viris de omni virtutum genere certare, illos etiam accuratius elaborare, ut doctiores melioresque in dies fierent, ad quod etsi bona eos natura et institutio ducebat, tamen eo impensius se ipsos stimulabant, quo manifestius intellegebant, nonnisi per virtutem posse, quem nacti erant, honeste vivendi locum obtinere. Assiduae inter eos disputationes erant variaequae interrogationes, prout res aut locus aut tempus efflagitaret.

XVII. Ex quo factum est, quod cum aliquando episcopus pro facultate sua dicendique copia memoriter et ornate recensisset varietatem fortunae utriusque Pannoniae et qui mortales diversis temporibus eas terras tenuissent, interrogaret Gregorium, quidnam de Polonorum antiquitate sentiret, cuius mentionem nusquam apud veteres scriptores legisset. Ad quem Gregorius: neque ego, quamvis diligens ea in re fuerim, quod pro certo asseverem, comperisse memini. Ea enim, quae Vincentius in historiis scripsit de origine nostra, non fabulas modo sed portenta redolent, quippe qui a diluvio antiquitatem nostram fabuletur et nos Scythas asseveret, quibus bellum Alexander intulerit, Romanumque Gracchum apud nos regiae urbis conditorem et affinitatem cum divo Iulio somniet, quae neque locis, neque temporibus, neque rebus gestis aut Romanorum aut Alexandri

congruunt, sed similia sunt anilibus fabellis. Praeterea nescio quam sibi soli cognitam Vandam reginam et ab ea flumen ac Vandalos dictos adducit nosque eam vult esse gentem, quasi aut Vandalorum natio non indigena, aut non ex antiquissimis et primis Germaniae cultoribus fuerit, aut illic, ubi nos sumus, aliquando habitasse constet inter scriptores. Sed et Mysos, qui ad Tyram amnem incolebant, et Sarmatas Parthos appellat; reliquaque eiusmodi adeo inconsiderate scribit, ut nullius gentis historias aliquando ipsum legisse satis constet. Sic, qui nobis antiquitatem nostram explicare proficitur, maxime eam occultavit vanitate affectatae vetustatis; dum enim nimis longe omnia repetere vult, nihil certum aut verisimile affert.

XVIII. Verum consideranti mihi mores et instituta nostra adducor, ut credam Polonos a Venetorum gente, quae inter Peucinos Sarmatasque Oceano adiacet, originem trahere. Namque domi et militiae paene eisdem, atque illi, rationibus agitur: eadem alacritate cantuque in pugnam descendimus, vincendique in hastatis equitibus spem reponimus. Illi principi superesse aut in acie ipsum relinquere non ferunt; nos probrosum infameque dicimus. Ibi regis imperium legibus et institutis quibusdam moderatur; in nos quoque neque summa neque absoluta est potestas regi. Arbitrium rei domesticae curamque privatae parsimoniae utraque natio feminis committit. Illic nullae urbes; nos, etsi maximae sint, non inhabitamus. Iam vero non iunctas sedes incolere, discretimque, prout loci apricitas persuaserit, agere, domosque spatio aliquo ab invicem discernere, crassa et informi materia aedificare, nos atque illi solemus. Sed et eadem habitudo vestium utrisque et plerumque e ferarum pellibus tegimen, nec nisi amiculis lineis, quibus inumbrant caput, feminarum habitum a virili tam apud nos quam apud illos discernes. Dotandarum uxorum et redimendi homicidii quodam pretio eadem utrisque lex. Nullum crimen illi

aeque ac furtum detestantur; apud nos levissimum quodque furtum capitale est. Hospitalitatibus et conviviis illi patrimonia impendunt, nos effusissime indulgemus. Eadem utrobique potandi licentia ebrietatisque impunitas et in conviviis de publicis privatisque rebus consultatio. Nam et muneribus gaudere et sudatoria frequentare, saepiusque lavari, ac ferina carne lacteque vesci adeo commune utrisque est, ut aut verum est, quod arbitror, nos ab illis fluxisse, aut eius gentis nos sumus auctores. Sed vero similis est, ipsos sub asperrima parte caeli, in terra informi tristisque aspectu et cultu positos, relicto frigore ac squalore damnatae regionis, benignitatem caeli solique secutos et diversis occasionibus ac temporibus, primo quidem per Sarmatiam se usque ad Tyram amnem effudisse, deinde ad Istulam; et crescente multitudine per Daciam in Mysiam transcendisse atque in continuato tractu paulatim Dalmatiam atque Illyricum occupasse, donec ab Oceano incipientes in Adriaticum usque sinum continuato incolendi ordine proruperint. Cui opinioni lingua etiam fidem facit, quae omnibus tam longissimum terrarum tractum incolentibus una est, nisi quantum commercia tam diversarum nationum, per quas sese gens illa effudit, commutarint. Quod vero ad nomen attinet, nemo dubitare debet novum id esse ac vernaculum, quippe ab eo vocabulo deductum, quo in lingua nostra campos appellamus. Nam, qui silvarum montiumque asperitatem cum patria reliquissent, pellecti amoenitate camporum, quos incolerent, sese campestres materna lingua nuncuparunt.

XIX. Orto aliquando sermone in cena de Charondae legibus, cum Vergerius sanctionem illam laudaret, qua cautum erat a Charonda, ne quis, cui primum matrimonium feliciter cessisset, secundum iniret, illos vero, qui infortunati fuissent primis in nuptiis, loco insanorum ducendos, si iterum ea in re fortunam tentarent, Gregorius inquit: nihil aliud id fuisse quam statuere, ut cives

alteram partem naturae rerum ignorarent, nam neque his, qui bonas uxores duxissent, licere malorum incommoda experiri, neque eos, quibus mala semel contigisset, ad melioris fortunae conditionem posse pervenire. Addiditque, civilius fuisse intemperatarum uxorum repudia permittere, quam, ne in intemperatam quis incideret, secundas nuptias inhiberi. Sed et contra eiusdem assertionem improbavit factum populi, qui provocante ad se lusco emendaverat Charondae legem, qua cavebatur, ut oculus oculo compensaretur: non eandem habendam esse rationem asseverans de his, qui Deo invisus sunt, ac de ceteris; luscus ipsos eo ipso constare Deo invisos esse, quod cernendi media vis eis adempta sit, quo uno sensu nihil maius aut praestabilius a natura corpori conferatur. Interroganti aliquando Podochathero, quidnam in regione Polona viliori esset in pretio, potio, inquit Gregorius; et cum ille, quid illic carius veniret, quaereret, potionem etiam asseveravit. Miranti vero, qua ratione id fieri posset: nostri, ait, totis patrimoniis potionem emunt, sic autem bibunt, ut ex omnibus fontibus putes scaturire. Dicenti episcopo: mirum videri potest, quodnam fatum Cyprii hominis vitam cum Sarmata coniunxisset — an ignoras, inquit Gregorius, Venerem, cum primum ex mari prodiit, in Cyprio consedissee litore, ibique sanctissime cultam, Martem vero in nostra regione natum atque coli; qui dei quam artissimis amoris vinculis inter se iuncti sint, etiam vulgares sciunt. Et proinde nemo mirari debet, si convenit inter se hominibus earum regionum, quarum dei tam propensissimo affectu se invicem prosequuntur.

XX. Interim cum Gregorii absentia pro morte in patria duceretur, Casimirus, qui fraternum regnum obtinebat, ecclesiam, quam Gregorius in salinis possidebat, alterius sacerdotis curae commisit. Quo nuntio adactus est Gregorius redire in Poloniam, rebus suis consulturus. Afficiebatur enim plurimum illi ecclesiae, tum quod primus gradus

liberioris fortunae suae inde inceperat, tum quod omnia tirocinia spiritualis vitae in ea obiisset, eamque ob causam suum vere natale solum ibi esse dicebat. In pago enim, ubi natus erat, nudam tantummodo vitam accepisse; in ecclesia vero illa omnes bene vivendi rationes assecutum se esse. Atque ideo cum episcopus saepe cum eo egisset, ut opulentioris ecclesiae curam susciperet omissa illa, nunquam persuadere potuerat. Sed tum praecipue, cum iam Gregorius itineri se accingeret, institit offerendo eas commutationis condiciones, quae facile alterius cuiusque animum potuissent inflectere. Ceterum cum sensisset auris omnia se iactare, ut saltem redeundi ad se necessitatem illi iniungeret, procuravit nonnulla publica negotia, quae apud regem Poloniae tractanda tunc maxime erant, Gregorio committi; videbatur enim sibi medietate sui orbem se futurum illo a se dimisso. Amici quoque, qui aegre a se divelli patiebantur, ambiciosissimis precibus petebant, ut cito reverteretur, quod et Gregorius non minus, quam ipsi, desiderabat; potuitque fortassis ab incepto desistere, nisi occulta fatorum vis etiam invitum ad maiora rapuisset.

XXI. Igitur post annos aliquot orator regni venit in patriam, unde regis magister discesserat; fuitque admirationi primum eius vita, quod praeter cogitationem spemque omnium comparuisset, qui mortuus credebatur, deinde virtus sua et magnitudo animi: illa, quod externorum iudicia sic promeruisset, ut sibi potissimum legationis munus redditum esset; ista, quod non sustinuerat patriam privatus repetere, a qua publica ratio prius ipsum abduxisset. Sed ante omnes regem matremque tam inopinata eius praesentia in se convertit; ille de fratre, haec de filio secum sollicitabatur. Plerique enim a funesta illa pugna, quae ultima mortalium actionum Vladislao regi fuit, recto itinere domum se receperant et, ut turpitudini suae honestatem aliquam praetenderent, non in acie a se relictum regem, sed illius fugae comites se fuisse assevera-

verant; ipsumque procul dubio non interiisse, sed aliquo gentium in dissimulatione sui ipsius agitare, tanquam puderet calamitati suorum supervivere, quae ob violatam a se religionem accepta crederetur. Eamque persuasionem Gregorius corrumpere noluit, tum ut pudori eorum parceret, qui sub tali commento latere voluerant, tum quia satius putavit matrem ceterosque necessarios regem sub ea credulitatis vanitate oblivisci, quam extinctum deplorare. Ac proinde sic de vita aut de morte illius loquebatur, quod, utrum mallent, facile sibi ipsis possent polliceri. Interim vero et publica Ungarorum negotia diligentissime agebat et restitui ad possessionem ecclesiae suae procurabat.

XXII. Sed, cum propter accelerationem regis ad intimam Sarmatiae partem non potuisset, quod petebat, impetrare, coactus est illum sequi. Superaverat rex iam Rubonem amnem, neque procul aberat a Torunio, cum allatum est nuntium interitus archiepiscopi Leopolitani. Sed et illud nuntiabatur, archiepiscopum, dum viveret, ita ecclesiam illam habuisse, ut visus sit omnibus modis operam dare, ne sibi superesset, sed una secum extingueretur. Itaque non tam ecclesiam quam nomen vacare, ecclesiam enim ipsam iam dudum esse desiisse. Quae res maxime regis animum exacerbavit, tum propter singularem eius pietatem erga immortalem Deum, tum quod ea ecclesia divi parentis sui monumentum esset. Convertit ergo statim mentem ad ipsam instaurandam et, ut virum quam optimum illi praeficeret, cogitare incepit. Sed cum non succurreret, qui placeret, ad matrem suam regni-que optimates misit, ut quem maxime ad eam rem idoneum sentirent, nominarent. Illi quattuor delectis, annitente regina Gregorium quintum addidere, quamvis adversaretur Sbigneus cardinalis, qui, veluti iam in externos mores degenerasset, Gregorium aspernabatur. Ceterum rex, qui, nisi quod desperaverat Gregorium munus suscepturum, sine aliqua consultatione ipsum omnibus practulisset,

nactus occasionem ex consilio suorum, ipsum ad se vocavit et quod secum cogitasset quodque sui sibi suaderent, indicavit. Ille, qui toto animo ad reditum in Pannoniam conversus erat, primo se excusare ac legationis suae munus velut impedimentum allegare, omniumque suarum rerum perturbationem illinc secuturam dicere. Sed cum rex nullas excusationes admitteret et fatalis illius ecclesiae instaurationi vigeret, condicionem accepit.

XXIII. Moxque legationis suae exitu per internuntium Ungaris significato, ad Leopolum iter arripuit. Congregaverat in Hungaria honestis quam plurimis rationibus, sed inprimis ex fructibus canonicatus non parvam summam pecuniarum, ac proinde facile habuit, archiepiscopalis sedis possessionem aditurus, se ipsum et familiares omnes ad dignitatis honestatem componere. Vulgata erat iamdudum fama electionis suae, sed et virtus probitasque ipsius non silebatur ac proinde magno cum desiderio expectari ab omnibus coeperat. Ceterum venientem maiore alacritate animorum, quam celebritate pompae, susceperunt. Rari aderant sacerdotes et illi ipsi calamitates proximi temporis miserabili habitu prae se ferentes; ceteri aut in exilio agebant, aut decesserant, cum interim nullus in demortuorum loco sufficeretur. Coepit itaque statim Gregorius ex tam tristi aspectu totius rei calamitatem considerare, non tamen adhuc nomen sine re aliqua esse credebat. Sed postquam omnino nihil ibi, quo vel misere nutrireretur, esse comperit, a lacrimis non temperans sortem suam deplorare aggressus est, qui e florentissima vivendi ratione ad miseram difficilemque vitam foret translatus. Et primo quidem relictis omnibus redire ad amicos in Ungariam cogitabat, deinde, ut erat vir pius et religiosus, tota in Deum mente conversus, instituit, quodcunque oneris sibi impositum erat, fortiter ferre, quasi oblata sibi copiosa materia in Dei vinea se ipsum exercendi.

XXIV. Itaque, temperatis prius rebus domesticis impendiisque ad modum facultatis ordinatis, ut essent, quibuscum de utilitatibus necessitatibusque ecclesiae deliberaret, canonicos, qui exulabant, revocavit, demortuorum loca supplevit, mox aedificandae ecclesiae negotium suscepit. Aderat quotidie divinis caerimoniis, illarumque neglectam aut collapsam disciplinam emendabat tanta severitate, ut aliquando sacerdotem perperam pronuntiantem Evangelium, cum bis verba diverso ac oportebat accentu prolata castigasset, tandem silere iusserit alterique absolvendam lectionem destinaverit, alium vero publice ab altari retraxerit exclamans: non licere his, qui pridie essent ebrii, sacrificare. Plerosque, comas paulo uberiores nutriendas, in ipso populi conspectu enormi tonsura deformabat. Quibusdam etiam, quod in publicis ebriosorum receptaculis consedisent bibendo, per certum dierum numerum sacrificio interdixit. Ipse diebus sollemnibus ad populum sermonem habebat, nec quicquam denique agere omittebat, in quo aut cura sua aut officium efflagitaretur.

XXV. Grata ergo populo erat viri diligentia et sollicitudo in rebus divinis, grata frugalitas et continentia in humanis, gratissima vero adversus omnes veluti paterna facilitas. Sed sermones, quos habebat ad populum, maxime studia omnium in ipsum converterant. Nam cum in eo par esset eloquentia et doctrina, praeterea vocis ac corporis maxima dignitas, quae vel in privato sacerdote ad movendum auditores efficacissima fuissent, accederetque ad ea pontificalis maiestas, non humanum sed divinum quippiam videbatur. Itaque mirabili quodam consensu ad eum audiendum homines confluebant. Sed nec minori studio inter se certabant de conferendis in eum beneficiis, prout cuiusque facultates suppeterent adeo, ut qui paulo ante inopiam rerum omnium extimuerat, in affluentissima copia versari se sentiret. Eo tenore vitae quinquennium traduxit, cum interim per contractio-

nem impendiorum omnium, usuras a se ipso exigendo, quasdam villas coemisset. Mox, cum nutrimentorum ratio satis suppeteret, ad largioris fortunae spem animum erexit.

XXVI. Relicta igitur civitate, villas circumire coepit et colonos undequaque modis omnibus ad se allicere, quibus primo domos aedificabat aliaque blandimenta offerebat, per quae agrestium animi, quos maxime commoditas ducit, caperentur. Qua sedulitate in possessiones omnes, quae ob intemperiem prioris archiepiscopi desertae erant, cultores induxit. Deinde crescentibus facultatibus paulatim alias atque alias villas emere, tum novas locare et piscinas aut obsoletas instaurare aut, ubi loci commoditas suasisset, effodere non prius destitit, quam, velut fenus ex se ipso crescens, fructus ecclesiae ad eam summam perduxit, ut cum dignitate futuros pastores ac facile alere posse constaret. Ad extremum locandae civitati animum intendit et, cum locus placuisset iuxta flumen, cui Danubiolo nomen est, primo quidem solus illic habitare perseveravit vicorumque atque areae publicae modo designato domos aedificabat, cum, quibus habitaretur, nondum essent. Ceterum vulgata iam pridem fama facilitatis ipsius aequitatisque in suos statim omnes ex adjacentibus civitatibus, quibus aut avaritia aut superbia dominorum infensa erat, ad Gregorium attraxit. Itaque cum iam populus tam frequens convenisset, ut a subitis incursionum casibus se ipsum tueri posse videretur, ad augendos populares animos et fiduciam Gregorius prius arcem erexit, deinde fossa ingenti argillaceoque opere reliquum urbis ambitum munit, quod genus saepimenti, ut consuetum in ea regione, ita tutissimum adversus Thauruscythas, a quo uno genere hostium maxime infestatur, quippe qui neque obsidere neque expugnare urbes norint, sed palantes per aperta loca, quicquid hominum iumentorumve casus obtulerit, eadem, qua incurrunt, celeritate abigunt. Maximam praeterea vim omnis ge-


neris tormentorum excutientium saxa in arce ac propugnaculis disposuit bipennesque innumerabiles et arcuballistas ac missilia, quibus facile omnis impetus arceretur. Apparebatque iam tuta civitas ab his, quae foris imminerent.

XXVII. Itaque ne domestica licentia interiret, hostium metu sublato, Gregorius leges, quibus inter se domi agitent, conscripsit, et erecto templo, unicum efficacissimumque servandarum legum vinculum, oculis eorum religionem obiecit. Sed et ipse festis diebus in sermonibus sacris utilium honestorumque rationem illis explicabat, quoque ordine coalescere civitas et conservari posset, quantumque Deo immortalis civium unanimo consensu ad recte vivendum cordi esset, exponebat. Ad quam rem cum quodam veluti fato eos obsequentissimos haberet, etiam exemplo suo concitabat, quippe quod dominus et pater urbis mansuetudine ac facilitate omnes privatos superaret nec cuiusquam prospera aut adversa putaret a se aliena, sed omnibus aequae aderat et prout res, humanarum necessitatum ratio exigeret, his consulebat, illos iuvabat, istorum iuribus, illorum fortunis subveniebat, aliis gratulabatur, alios consolando recreabat, adeoque crescentis in dies civitatis studio mentem intenderat, ut nunquam potuerit adduci reliquo tempore, quod alibi frequens habitaret. Quae res saepe salutis novae civitati fuit, nec tantum arcis fossaeque ac propugnationum munitio illi profuit, quantum animi magnitudo et ingenium Gregorii.

XXVIII. Nam cum populationes Thauriscytharum tam subitae sint, ut prius abigant praedam quam venisse intellegantur, plebsque incautos deprehendunt, alios in ipsa trepidatione nondum paratos ad se tuendum occupant. Quibus casibus Gregorius custodes opposuerat, neque unquam ita imparatus erat cum suis, ut non de imminente periculo agitare videretur. Ceterum, cum hostis affuisset, civium animos erigebat circumeun-

do munitiones et loca, quae maiori periculo essent obiecta. Tormenta et missilia tum subministrari propugnatoribus curabat, tum ipse subvehebat, verbis denique atque opere omnia munera impigre obibat, quae a praefecto defendendae civitati exiguntur. Sed, cum tam multa documenta exhiberet ad suorum virtutem excitandam, nihil aequae eos movebat ac aetas et dignitas hominis. Cum enim intuerentur ipsum in tam fessa gravique aetate periculo suorum tam sollicitum agi, ut ex pontificali dignitate sacrosanctum corpus et maiestatem canonum suorum vulneribus ac morti obiceret, quodam veluti mentis impetu rapiiebantur ad quaecunque pericula pro ipso suscipienda credebantque se inexpiabili scelere inquinaturos, si parentis sui, si benefactoris, si illius, a quo vivendi honestas rationes accepissent, cuique tam cari essent, salutem non tuerentur etiam cum eorum interitu. Quae pietas civium non semel civitatem servavit, dum vitam conditoris maxime servare conatur.

XXIX. Accedebat Leopolim, prout magnarum sollemnitatum ratio exegisset aut caerimoniae, quae sine ipso absolvi non possent, statimque revertebatur asserens, se ad filiam suam properare, cuius aetas et forma, occasione peccandi accommodata, paterna custodia indigeret. Haec quamvis de se ipso profitebatur ac saepe prae se ferebat non alia magis ratione illic habitare, quam ne, antequam omnino stabilita esset, dissolveretur civitas, quam inexhausto labore ac diligentia in corpus collegerat — propiores tamen sunt vero, qui sentiunt ipsum ea simulatione tranquillitati et quieti animi operam dedisse, cuius velut a natura studiosus adeo fuit, quod puer difficilem patrem reliquerat. Neque subinde aliam ob causam aegerrime tulerat divelli per Vladislaum regem ab ecclesia salinarum, quam quod inde interrumpi quietem vitae suae intellegebat; cum enim locus ille non a civitate, sed tantum a civitatis strepitu remotus sibi videretur, credebat Gregorius divinitus sibi degere



illic contigisse, ut velut ab amicis semotus tranquillitati posset intendere, ac tamen, cum libuisset, inter amicos versaretur. Instituerat ad extremum agere illic vitam. Sed virtus sua, quae ad maiora expectebatur, ipsum prius inde abstraxit, postea felicitas Leopoliensis sedis, quae ab eo instauranda erat. Itaque cum iam absoluta crederet omnia, quae a se exigerentur, quippe qui templi aedificium ad summum perduxisset, [in civitate], vectigalia vero tam multa forent coempta et reparata, ut nihil deesse appareret aut dignitati aut opulentiae sedis illius, reddiderat animum naturali tranquillitati, et semotus ab omni negotiorum tumultu vivebat nulli rei magis intentus quam lectioni. Nam qui iuveni aetate historiis maxime et poematibus deditus fuisset, in maturo postea aevo propter professionem maxime theologiam amplexabatur philosophiaeque partem illam, quam ethicen dicunt; studebatque legendi assiduitate compensare tarditatem, qua se ad sacras litteras convertisset, non tamen unquam gentilium scripta a se abdicavit, sed divinis institutionibus ac disciplinis ex proposito, profanis casu intendebat.

XXX. Ceterum ne aut ea, quae magno labore conquisierat, negligentia deperirent, aut animus suus, quem ab omni perturbatione absolutum volebat, servilibus curis implicaretur, rerum suarum procuratores in locis oportunitis designaverat, cum quibus administrationis rationes nunquam subducebat, seu certus integritatis eorum, seu timens cognita fraude destinatam sibi animi pacem inquietare. Illud certum est, ipsum saepe usurpare solitum <dictum> eorum, qui de fide procuratoris dubitarent aut inquirerent: etsi res maxime salvae sunt, tamen animum esse inquietum. Sed quod mirari libeat, cum foris in rebus, etiam caris et magnis, procuratoribus usque ad negligentiam crederet, domi exactissimam rationem habebat minimae ac vilis cuiusque rei, quippe qui plerumque ova, caseolos et poma ceteraque eiusmodi

numeraret, neque aliter quam diligenter inspectis dimensisque rebus singulis promptuariae cellae praefecto credebat. Quod quidem vulgus avaritiae tribuebat, ego ascripserim quietis studio: nam qui iuventutem facile corrumpi sciret, ubi sub laxiori disciplina haberetur, videbat futurum, nisi tam artissima frugalitatis norma paratos ad luxuriam animos coerceret, ut per intemperantiam omni genere inquietudinum domus compleretur; quam rem utpote naturae suae adversissimam vitans, non solum frugaliter habebat apud se familiares, verum etiam ad serviendum sibi nullum aliquando admisit, qui disciplinam non toleraturus appareret.

XXXI. Dicebat saepe familiares nutriendos usui, non ostentationi; eos vero vanissimos homines esse, qui, ut foris magno cum apparatu servorum incederent, praeter id, quod facultates suas intemperato et insolenti cuique exponerent veluti diripiendas, domi tam multa foeda paterentur, ut degentium in honesta servitute multo potior habenda sit condicio, quam eorum, qui tales famulatus per ambitionem alere ac tolerare perseverant. Ipse interrogatus, quare numero, veste ac cetero ornatu inferiorem omnibus episcopis familiam haberet? — quia, inquit, servorum meorum servus esse nec volo nec possum, sed et satius in qualicumque simplicitate contemni puto, quam perpetua simulatione torqueri. Eamque ob causam, etiam postquam per facultates licuisset, nunquam mediocris fortunae modestiam transgressus est aut multitudine ac nobilitate familiae aut splendore indumentorum, quibus vel se vel familiares exornaret, nam mensae ac reliquae rei domesticae frugalitatem, quam in simplici sacerdotio sibi ipsi indixerat, nunquam mutavit, sed usque ad ultimum tempus sub eadem parsimoniae norma perseveravit. Volebat animi bonis et dotibus [non autem fortunae] admirari, eorum vero existimationem parieti caduco innixam putabat, qui laudum suarum veluti fundamentum fortunae opes haberent.

XXXII. Ad religionem et sapientiam pertinere arbitrabatur necessariorum suorum tantisper habere rationem, dum meliores reddi possent, in ceteris probitatem et virtutem omnibus naturae vinculis praeferebam. Qua persuasione fretus, cum iam ad archiepiscopatum euectus esset, semel tantum et paucis admodum diebus visendorum suorum gratia fuit in patria, unde puer abierrat. Consanguineos vero et necessarios, qui ad eum confugissent, pro qualitate morum ac vitae, probos quidem consueta sibi frugalitate nutrebat, reliquos, ubi semel atque iterum frustra eos monuisset, tanta animi constantia a se dimittebat, ut exinde nunquam in contrariam sententiam flecteretur, passusque est nonnullos, sed imprimis fratrem cum summa omnium rerum egestate in mendicorum receptaculo vitam finire, cum ille prius in tonstrinis et balneis ac foedissimo quoque ministerio servivisset, ut ab eo, quem sanguinis vinculum non movebat, pudor sordium, in quibus frater versabatur, saltem aliquid facultatum extorqueret. Duri hoc fortasse ac nimium rigidi fuerat instituti, nisi omnia officia, quae frater fratri debet, prius illi praestitisset. Nam eiectum a parente susceperat Cracoviae, cum per aetatem emendari posse crederet, multaque in eum contulerat, quo tempore non paucioribus ipse indigebat. Deinde ad archiepiscopatum euectus, ter illi ad mercaturae usum non exiguo numero pecunias dederat, <at> totiens ille decoxit, apparebatque, quotiens exorari se permisisset, eundem beneficii sui futurum exitum. Itaque, cum naturae iuribus satisfecisset, non solum stultum, verum etiam impium esse credidit, si, quae usui atque ornamento ecclesiae debebantur, splendae luxuriae fratris ad extremum exhiberet.

XXXIII. Adversus alienigenas, praesertim Italos, quos aliqua honesta ratio in regnum aut adduxisset aut retineret, propensissima erat humanitate modisque omnibus eos fovebat, tuebatur, erigebat, ornabat et pro viribus nutrie-

bat; cumque a suorum conversatione abhorreret, cum illis familiarissime agebat, mensae ac reliquae vitae comites habebat, iocis ac lepiditatibus cum eis certabat. Videbatur, quotiens cum illis fuisset, oblitus instituti sui et rerum humanarum curiosus: quippe qui interrogabat, quid Itali, quid Galli agerent; quis Germaniae status esset, quis Hispaniae; quid ex Africa, quid ex Asia nuntiaretur. Ad summam illis omnibus exquirendis erat occupatus, quae aut alio tempore, aut a suae gentis hominibus non solum audire nolebat, sed etiam aspernabatur audita. Hoc ille aut dignitati regni tribuebat, cuius non solum hospitalitatem, verum etiam prudentiam laudari ab extremis nationibus volebat, aut captus studio morum, in quibus maxime Italos imitari placebat, eo ferebatur, ut, veluti rursus in vitam rediisset, omnia, quae ab animo suo secreverat, iterum ad se pertinere arbitraretur. Illud constat ipsum nunquam aut labori aut facultatibus pepercisse, ubi aut saluti aut dignitati alicuius peregrini consulendum foret. Sed neque contentiones aut iras optimatum regni aliquando ea in re timuit, aut regiae auctoritati cessit, sed, quos in fidem semel receperat, perseveranter etiam cum omni suo periculo ad extremum tuebatur.

XXXIV. Cuius rei testimonium locupletissimum est patrocinium, quod mihi praestitit adversus iniquissimam sententiam, quam homines improbissimi ac nefarii a rege non tam impetraverant, quam per impudentissima mendacia extorserant. Cum enim ad eum, tanquam columen ac lumen unicum iustitiae confugissem, cognita illius decreti abominanda impietate, non aliter de mea, quam de sua salute sollicitus egit usque ad poenitentiam et pudorem illorum, qui contra me stultius an iniquius senserant, nescio; cum interim nullum pietatis humanitatisque officium in me omitteret tantaque benignitate naufragium meum complecteretur, ut saepenumero non irascerer illis, qui ad eum virum confugiendi necessitatem mihi in-

cusserant. Praeveniebat in plerisque cogitationes meas, allevando calamitatem, qua urgebar, nec quantum in se erat, ut illam sentirem, patiebatur, in multis infra aetatis dignitatisque suae gravitatem mecum comiter agebat deambulando, considerando, convivia ineundo, vigilando, ac, ne quid deesset ad supremae humanitatis in me studium, plerumque Fanniolum convivio adhibebat, quam praecipuum infortunii mei solatiolum esse non ignorabat. Adeo plus semper apud eum omnibus in rebus potuit calamitatis meae miseratio, quam suae dignitatis observantia.

XXXV. Ceterum, cum haud gravatim externorum hominum convivia frequentaret ipsosque mensae suae libentissime ac saepe adhiberet et lautissimos quoque superaret apparatus in accipiendo illos, a Polonorum conviviiis, quantum licebat, abstinere perseveravit et cum eos invitaret, quod rarissimum erat et non nisi quando necessitas suaderet, parum a solita frugalitate discedebat. Sed et convivia ipsorum consumptiones appellabat, dicens, non oportere unamquamque turbam, edendi bibendique gratia unum in locum congregatam, convivium nominari, nam tali ratione armentorum gregumque convivia dici posse, quando pascendo in pratis conveniunt; sed eorum coetus hominum tantummodo dignos nomine convivii, quos delectu quodam et iudicio aliqua honestior ratio, quam ventris atque gulae, ad pariter convivendum congregasset. Interrogatus vero, quare domi libentius quam apud convivas pranderet: domi, inquit, quantum volo et quantum placet comedo, nec plus temporis in mensa absumo, quam naturalis exigat necessitas.

XXXVI. A republica fere abstinuit seu tranquillitatis studio, seu quia parum tutum credebat libere consulere. Illud certum est: cum de recipiendis Prussiae civitatibus, quae a magistro defecerant, consultaretur, ipsum, ut semper alias, vocatum ad conventum publicum, cum a rege

sententia super ea re rogaretur, dixisse: [utraque re potius subigi et retineri ego putarim, nam iisdem semper artibus retinetur, quibus initio partum sit]. »Armis quidem subigi provincias, sed iustitia retineri. Nec tam facile esse nationes in pace regere ac moderari, quam bello redigere in potestatem. Superbum atque iniustum imperium magistri civitatum animos ab eo alienasse, quae nulla alia ratione confugerent ad regem, quam quod mitius iustiusque imperatorum credant. Quod si earum opinioni vellet aut posset se conformare, optimum factu esse et in fidem ipsas recipere et tueri, alioquin non esse suscipiendum gratuitum bellum. Nam fore aliquando, ut eadem causa, propter quam a magistro defecissent, a rege quoque alienarentur«. Cum vero de modo gerendi belli ac facultatibus ageretur et multi, prout cuiusque ingenium erat, sententias dixissent, non tam effectu quam verbis diversas — quippe numero tantum differentes; ut regi viritim aliquid pecuniae tribueretur, omnes sentiebant — Gregorius inquit: »Non prius futurum est, ut rex pro dignitate sua eorumque, quibus imperat, bellum suscipiat et gerat, quam restituatur in possessionem eorum omnium, quae sua sunt in regno universo. Nam, dum licuerit sibi egestatem allegare, prius omnes ad ultimam inopiam redigemur, quam necessitatibus regiarum actionum satisfiat et cum nobis, quod iam demus, non erit, plurimis tamen ipse indigebit. Et proinde ut, quod maiores nostri voluere, regio nomini regiae adsint facultates, quae oportunitatibus quibuscunque emergentibus sufficiant, et non semper in publicis causis ad privatas opes confugere cogamur: antequam de gerendo bello agatur, deliberandum censeo, quo pacto, absolvendo nosmet ipsos a tam frequenti tributorum pensione, regi necessitatem iniungamus, ut per facultates suas publica pericula propulsentur«. Ea vox, ut regi grata, ita Gregorio multos adversos fecit, quorum etiam simultates crediderim magna ex parte ipsum a republica retraxisse.

XXXVII. Nam reliquo tempore generales conventus vitavit et paucis admodum privatis interfuit. Sed quod optimum in rebus agendis censisset, nonnunquam regi per epistolas significabat, ut fecisse constat, quo tempore maximo litterarum nuntiorumque ambitu a rege vocabatur, qui cum inclito primogenito suo ad recipiendum Bohemiae regnum ipsum mittere instituerat. Nam per aetatem et valetudinem id negotii a se deprecaturus, regi scripsit: »Immaturum fore puerum regno; neque tam accersiri, ut in Bohemia imperaret, quam peti veluti pignus et obsidem Bohemici belli gerendi et propulsandi per Polonos. Expectanda meliora tempora, meliores occasiones. Nam si filio suo id regnum divinitus deberetur, futurum omnino, ut eius gubernacula maturo tempore reciperet, si vero alii cuiquam polliceretur a fato, et tunc et alias in irritum casuras actiones eorum, qui fati se opponerent. Porro tunc demum fatales occasiones tentandas, cum ad eam aetatem pervenisset adulescens, in qua posset agere et consulere«.

XXXVIII. De religione ut piissime sentiebat, ita graviter et severe vel plurimum loquebatur; raroque et non nisi cum prudentibus viris de divinis rebus disserendum putabat. Vulgus eo sanctius divinis praeceptis obtemperatum, quo plura incognita sibi et arcana esse in religione crederet. Nullum enim mysterium adeo sacrum et religiosum ex natura sua, ut sine caeremoniarum velamento possit a quadam veluti vilitate se defendere. Allegorias, quae in sacra historia adducuntur, non probabat dicens, multum maiestatis in divinis operibus exinde perire, quippe quod, quae per se mirabilia sunt, ubi per allegoriam interpretantur, vilescere incipiunt. Non tanto strepitu miraculi agitur populus, si dicitur infusam esse animae lucem veritatis, quam si caeco corpori oculos cernendique vim redditam asseveratur. Mirabilius esse septem daemonia quam septem pec-

cata eiecisse. Ceteraque id genus omnia minora per allegoriam fieri et fide sua labefactari. Nam, dum auditorum animi convertunt se ad allegorias, a veritate rei fidem alienant nec tam historiam eam esse credunt, quam commentum aliquod ad inducendam allegoriam.

XXXIX. Sententiam praeterea illam, qua eximitur a grammaticae institutis theologia, non ridiculam modo sed stolidam etiam esse dicebat, quippe quod scriptorum vitia per maiestatem materiae excusaret, quasi ea, quae theologia continet, ipsa scripsisset et suo quodam veluti iure, quae sua forent, prout voluerit, protulisset, et non homines, qui grammaticis rationibus obstricti essent, debuerantque illas eo servare diligentius, quo sublimior puriorque est materia, de qua scribebant. Stultam quippe, si in quotidianis fabellis nefas sit a vero loquendi usu discedere, de ea vero materia, qua nulla dici aut inveniri potest dignior, per incitiam temere aut incongrue disseratur. Eorum vero vanitatem maxime mirabatur, qui christianae theologiae physicas rationes accomodarent, quasi aut Dei maiestas intra illos, qui nobis naturales rerum termini videntur, sit artanda et non potius a Dei actionibus natura ipsa normam debeat accipere, aut non magis illi debituri simus, si propter nos quippiam ex consueto et naturali ordine rerum commutaverit, quam quod aliquid ita exigente natura fecerit. Illos autem impudentissimos aiebat, qui una atque altera sententiola a perantiquorum theologorum libris emendicata, cum persuadendi praeceptiones artemque ignorent, persuasuri ad populum de divinis rebus faciunt sermones. Non enim putabat eos aut continuare aut inferre posse, quod intenderent, quippe qui non <ipsi> iudicando dicerent, sed aliorum iudicio raperentur, nec magis eius rei, de qua verba facerent, vim et naturam nosset, quam unusquisque auditorum. Sed et sine summa oratorum poetarumque cognitione minime dici posse efficaciter sentiebat. Cum enim pleraque

in religione pietate sola, non accedente ratione, subsistant, in quibus rapiendus est affectibus, verborumque ingenti volubilitate et copia velut impellendus <populus>, nequaquam credibiliter aut pie de illis dicturum esse, nisi qui ab oratoribus verba, a poetis vero affectus fuerit mutuatus. Eamque esse causam, quare novorum theologorum sermones languidi sint et ieiuni, antiquorum vero, ut Hieronymi, Augustini et ceterorum, efficaces et copiosi. Quod illi tunc demum divinis scripturis se tradidere, cum humanas optime tenerent; isti vero, sine aliquo adminiculo divina adorsi, neque rei magnitudinem assequi potuere, neque recte sententias suas hominibus aperire, ignorantem partem illam doctrinae humanae, per quam mortalium animi ad credendum rapiuntur.

XL. Ipse, quotiens sermonem haberet, plus rationi persuadendi quam auctoritati theologorum insistebat, eamque ob causam fiebat, ut semper affectu, quo voluisset, populus duceretur, apparebatque ipsum auditorum animos veluti habere in potestate. Iam vero quando in sollemnibus officiis ac mysteriis caerimonias peragebat aut sacrificabat, nemo non ex intimo affectu cordis commovebatur; sed tunc praesertim, cum homicidas Deo reconciliaret atque in templum induceret. Erat enim videre passim, illo sublimi verborum affectu [ac] mysterium explicante, tam noxios quam insontes ubertim flere, illos poenitentia maleficiorum, istos miseratione poenitentium. Eorum vero, qui sacris initiarentur, pauci temperare a lacrimis poterant, cum, accedentibus ad naturalem maiestatem corporis sui pontificalibus ornamentis, non sine quodam sacro horrore propter vocis magnitudinem ac robur, enuntiaret documenta illa, quae futuris sacerdotibus ipso initiationis tempore per pontificem publice traduntur.

XLI. Difficulter ac raro adducebatur ad consecrandos sacerdotes et, cum id faceret, non sine severissimo iudicio, quos ad eam dignitatem admitteret, eligebat, asseverans impiissimum

esse facinus, si in saeculari militia obeunda delectus habeatur, ad spiritualem vero temere, prout sese quisque ingesserit, admittatur. Multumque a pristina maiestate degenerasse sacerdotium dicebat: quondam enim fuisse virtutis ornamentum ac praemium, nunc vero miserorum esse confugium, quippe raros illud petere, nisi qui aut ignominiae turpitudinem aut sui generis sordem sub ipso latere vellent aut inde urgenti eos egestati succurri. Laudabat vero antiquorum institutum, praesertim Hebraeorum, quod eosdem pontifices regesque habuissent. Nihil enim pontificatu maius esse inter Deum atque homines et proinde nonnisi aut summae virtuti aut summae nobilitati committendum. Contigerat aliquando amicos extorsisse ab eo, ut consecraret ad sacerdotium rudem quempiam et omnino agrestis ingenii, cuius rei poenitentia ductus postea hominem recepit in domum ac erudire perseveravit, donec commode sacrificare posset reliquaque sacerdotis munera obire. Ne tamen rude ingenium, remissa disciplina, in naturalem stuporem recideret ebrietatique ac ceteris malis artibus se manciparet, apud se retinuit et, quoad vixit, humanae vitae omnia necessaria illi affluenter impendit, tanquam in eo nutriendo quotidie penderet erroris sui poenas.

XLII. Ius raro nisi per vicarium dixit. Cum ipse iudicaret, nonnisi eos, ad quos negotium, de quo agebatur, pertinebat, loqui patiebatur statimque aut partes inter se componebat, aut quid ipse sentiret pronuntiabat. Modos autem, per quos agi controversias institutum est, interdum deceptiones appellabat, interdum immunitates in ipso iudicio latrocinandis spoliandisque homines; causidicos autem omnes, tanquam iustitiae perturbatores genusque hominum perniciosissimum, in extremas insulas deportandos. Conquerebatur, quod non tam facili, quam vellet, sibi esse liceret in dissolvendis matrimoniis illorum, quibus non bene inter se conveniret, nimiumque severos esse canones ea in cau-

sa dicebat, civiliusque Graecorum institutum, quod in facili repudium ponit: multum ex muliebri intemperie ac petulantia periturum, si sentirent uxores in arbitrio virorum esse repudia. Neque vero putabat, illos a Deo coniunctos dici posse, inter quos caritas non esset, ac proinde cessante caritate dissolvenda matrimonia, quasi iam Deo invisata. Sed et stultum et periculosum videri, cogere eos, qui sibi invicem sint invisati, ut pariter habitent ac vivant.

XLIII. Iocabatur etiam interdum illis in rebus, quae ad religionem pertinere viderentur, et importunitatem eorum, qui aut quaerent aut efferrent ab officio suo diversa et abhorrentia, per urbanitates eludebat. Quandoque etiam utilia eodem modo proferebat. Quidam ratiocinando collegerat plures propemodum otiosos dies quam negotiosos esse, eamque rem, si arbitrium penes ipsum foret, emendaturum se ante omnia dicebat et praeter paucorum sanctorum sollemnitates ceteras exauctoraturum esse daturumque operam, ne tot vacationibus et feriis homines veluti cogentur in paupertate ac rerum omnium inopia versari. Ad quem Gregorius: Noli de imminuendo ecclesiarum vectigali agitare; an tu ignoras, quod ex crebris sollemnitatibus crebrae sunt oblationes? Dicenti autem: Deus [in] malis exercet bonos, ut verae virtutis colligant robur — male, inquit, de illo sentis, si non aliter, quam athleta corporibus, ipse mentibus suorum firmitatem ingerere potest. Observantes beati Francisci regulam callidissimos mortalium dicebat, quod sub paupertatis gloria divitias conquirant et pecuniarum odium professi passim eas emendicent. Cum aliter esset animatus illisque maxime afficeretur, neque solum institutum eorum summopere commendaret, verum etiam tueretur ab improbis et quotidianis beneficiis foveret, sed et agentibus contra eos canonicis suis, quasi novis quibusdam et superstitiosis caerimoniis populum ad se attraherent, asserentibusque

inde fieri, quod aliae ecclesiae parum frequentarentur, dum quisque novarum rerum avidus non tam religione ductus quam gratia spectaculi conflueret illuc, praesertim in Natali Christi exponentibus illis in ecclesia bovem atque asinum et prae saepis simulacrum cum puerperio — et vobis, inquit, eadem licent, ac, si libet, pastores et oves circum exsultantes addite. Quis enim prohibet aut certe prohibere debet homines quacunque ratione ad pietatem et religionem invitari, quam mihi inhibere <iubetis>.

XLIV. Eos, qui reipublicae consulerent, dicebat oportere omnes actiones suas in religione fundare: nihil efficacius ad regendum vulgus quam persuasiones de rebus divinis, publice susceptas; humanorumque bonorum ad religionem nulla pertinere praeter illa, quae in animo sita sunt. Sed et ad tuendas conservandasque respublicas maiorem vim esse in animo quam in corpore. Amicitias illas esse sanctissimas, quas hospitalitas et mensa coniunxisset, firmissimas vero, quas studiorum morumque similitudo. Legum fundamenta non in iustitia collocata, sed in utilitate iuxta populorum opiniones. Nam si ex iustitiae fonte manarent, cum iustitia ipsa una sit atque eadem, cum ratione sibi <esset> et constantia perpetuo consentiens, nihilque illis addi ad augendam virtutem, nihil demi, quominus virtus sit, queat; idem semper apud omnes aut iustum esset aut iniustum, quod longe secus est. Nam apud diversas gentes de eodem crimine aliter statutum scitur et esse tam qui laudent, quam qui puniant furtum. Sed et eandem civitatem alio alioque tempore in una atque eadem re aliter sanxisse; quotidieque leges novas ferri, veteres abrogari. Quae omnia indicio esse non magis de iustitia in legibus haberi rationem quam de temporis rerumque ac locorum et civium conditione, ac proinde utiles non autem iustas esse dicendas. Oratorem vero iurisconsulto ea ratione praeferendum, quod orator, etiam ubi leges non

essent, de aequitate et iustitia ageret legesque suscipiendas persuaderet; iurisconsultus, si tollerentur leges, non magis prodesse mortalibus posset, quam medicus sine medicina.

XLV. Disciplinarum eas maxime atque in primis discendas censebat, quae conservandarum civitatum causa sunt inventae. Mathematicae tantisper operam dandam, dum medicinae servit. Eos vero, qui ex sidere futura praedicere laborant, praeter id quod saepe decipiuntur, torquere mortales aut bonorum desiderio aut malorum metu alterutris denuntiatis. Scilicet bona, si praedicuntur, minora fieri expectatione ac non tam iucunda, cum ad defessos expectando pervenerint. Mala vero diuturno metu augeri graviusque affligere, cum iam consternatis animis nihil, quod sibi obsistat, inveniant. Nullos autem magis sui ipsos oblitos esse, quam qui nihil per se inveniando in aliorum opinionibus tuendis occupati essent, maximeque Aristotelis, pro cuius sententiis conservandis tot iam volumina repleta dicebat, ut mirum videri queat non intellegi ab hominibus; pleraque falsa esse illis in traditionibus, quae, ut conservarentur, tot administrulis eguere, quandoquidem ea, quae vera sunt, in natura per se subsistunt efficaciusque cognitioni nostrae se ingerunt, quam quae argumentis sint confirmanda. Illis vero, quae in opinione sita sunt, neque innituntur nisi vanitati alicuius dubii praemissi, tanquam satis probatum esset, tam stultum plane assentiri, quam sine fundamentis aedificare. Ea, quae a physicis dicuntur de solis lunaeque ac reliquorum siderum magnitudine, splendore ac defectu, et cetera id genus, esse eiusmodi, ut magis non reprehendi possint, quam vera credi. Id autem in eorum inventis tantummodo probandum, quod maxime sensibus nostris ac religioni congruat. In reliquis haudquaquam occupare se oportere, quod nec confirmata nec confutata quicquam conferant ad bene vivendum; illa, quae dicuntur asserendo, bruta carere ratione, hominum dicebat esse inven-

ta, non naturae, omnium quippe initium ab eisdem seminibus et generandi rationem vitamque ab omnibus animalibus aequè tueri ac conservari.

XLVI. Ipse quotiens a theologia vel legendo vel disputando descivisset et ad philosophorum opiniones se convertisset, in his, quae ethicae subsunt, stoicos amplexabatur. In physicis rationibus et his, quae <ad> finem spectant, Epicurum praeferebat. Ex illis vero, quae ad confutandum eius viri opiniones conscripta sunt, admodum pauca comprobabat, quin imo vanos censebat omnes, qui ea in re aut fuissent aut essent occupati, quasi aut factu facile sit, quod eius inventa rationi adversentur, aut necessarium, tanquam stantibus eius traditionibus ceterorum stare non possint, cum longe se aliter utrumque habeat: nam posita mortalitate animorum nihil contra Epicurum efficax dici aut inveniri, illa vero negata non tam confutari sententias ipsius, quam de medio tolli et submoveri, tanquam aliud agentes ac diversi instituti. Et proinde neque in suo proposito reprehendi illum posse neque ad alienum pertinere, quae senserit; ut enim animus corpusque distant inter se, sic utriusque rationes differre, ac minime possibile esse, ut diversae naturae finis atque institutum idem sit: Epicuro autem corpus, ceteris curae animum fuisse.

XLVII. Certamina hastatorum, in quibus infestis mucronibus concurritur, deridebat, eaque ratione certantes apibus comparabat, quae aculeum habent tantummodo infestum, ceteris omnibus maxime conferant humanae vitae. Sic illos hastis necem intendere, ceterum arma, equum, sellam et reliqua omnia sic disponere, ut nullum vitae periculum timeri queat, magisque illos commendabat, qui iustis armis atque equo ad veram pugnam se exercent. Ista enim meditatione discere equitem insidere equum ac saepius ferire hostem, illa ad casum erudiri et ad leviter feriendum adversarium insuesci, dum quisque occurrenti vulnere cedere cogitat. Venationes servile opus et officium

appellabat, eos autem ridiculos, qui omissis artibus, quibus hominibus prodesse debeant in civitate, feras sequantur in silvis.

XLVIII. Pulchritudinem, prout bono malove ingenio coniuncta esset, aut ornamentum aut perniciem dicebat. Nobilitatem quondam vel a sua vel a maiorum virtute hominibus contigisse, nunc vero a divitiis provenire. Dicenti, malam fortunam ostentandae virtutis occasionem praebere, felicitatem ac virtutem Dei allegavit. Malum ingenium et ingratum mari comparabat, quod cum ex fluminibus ac fontibus aquarum dulcium vim paene infinitam recipiat in se, nunquam tamen saporem mutat. Viros prudentes sine eloquentia citharas sine chordis esse aiebat. Iudicem avarum praesentaneum ac venale venenum dixit, interdum pauperum calamitatem, quandoque etiam divitum mucronem appellabat. Garrulae nimium ac dicacis mulier s filio inepto et usque ad stuporem taciturno ait: in matre tua linguam reliquisti. Sepulturae quidem curam illos habere oportere, qui honeste vixissent, ceteros haud dignos fuisse, quorum essent aliquando corpora, nedum monumenta extarent. Ludicrarum artium magistros, tibicines, parasitos, assentatores et id totum genus hominum, quod per alienam intemperantiam [et] levitatem suam exercet ac nutrit, aspernabatur neque unquam ad se admittebat dicens, illos, quos eiusmodi oblectant vanitates, suaviter ac veluti dormiendo perire, quippe talibus illecebris deleriti non sentiant, sine ulla bonarum rerum cura prius se ad mortem pervenisse, quam vivere intellexerint. Illos etiam maxime homines vitandos monebat, qui per obscoenas dicitates risum a circumstantibus elicere pro urbanitate ducerent, a sorde enim verborum nutriri impudentiam; ipse si quando cuiuspiam petulantia non temperaret a linguae sordibus, non solum non ridebat, sed rubore etiam suffusus, indignationem pudoremque animi profitebatur. Ridiculos homines non risu, sed miseratione prosequendos, quod

omissis bonis disciplinis vanissimis actionibus se mancipassent, sed neque audiendos spectandosve, aut, si omnino vitari non possent, semel tantummodo illis intendendum: abiecta prorsus et iacientia ingenia esse asseverans illa, quae dictis factisve aliquibus ludicris possent plus quam semel sine fastidio interesse.

XLIX. Ebrietatem pro ingenii qualitate bona malave differre, ac prout ingenium foret, aut detestandam esse aut tolerandam. Nunquam tamen illi effuse indulgit, sed usque ad hilaritatem cum amicis, praesertim alienigenis, bibebat, idque non nisi raro et cum summam ingenii lassitudinem sentiret, putabat enim ea ratione refocilari. Bibebat libentissime potionem, quae fit ex melle, quam domi sibi excoqui curabat, et cum id fieret, diligentissime circumspeciebat, ut mellis, aquae, ignis et ceterarum rerum modus decoctionis rationi consentiret. Sed et vino, assuefactus in Ungaria, frequenter utebatur, parce tamen et non nisi in prandio. Mensae modicus apparatus et sine argento praeter ligulas. Oleribus et leguminibus maxime delectabatur, nec minus avide pultes comedebat et caseum, seu quod iam senio dentes labefactati carnes conterere non poterant, seu frugalitatis studium fecerat earum rerum appetentiam et voluptatem, quas quotidie apponebat. Ieiuniis haud frequenter indulgebat, seu macerando corpori senectutem, seu virtuti frugalem mensam sufficere putans. Id pro certo asseveraverim: cum de ieiunio admoneretur, Isaiæ¹⁾ illud usurpabat 'non tale ieiunium elegi, dicit Dominus'. Prandendi cenandique locus aut tempus indiscriminatum, nisi cum aut aeris aut hospitem ratio coegisset, alias quandounque et ubicunque appetitus provocabat, seu animi oblectatio suasisset, vel in publico vel in privato comedebat; nec plures quam duo pueri ministrabant. Nulli loco maiorem deberi reverentiam,

¹⁾ Isai. 58, 6 nonne hoc est magis ieiunium quod elegi? (id. 58, 5 numquid tale est ieiunium quod elegi?).

quam mensae, nullum sanctiorem esse dicebat, quippe ibi mortales inter se vitae communionem inire, qua una re nihil maius aut praestabilius esse potest; ac proinde non quemlibet passim ad mensam recipiendum, nec cuiusquam convivia frequentanda, sed gravissimo iudicio utrobique deligendum, cum quo vitam velis habere communem. Dormiendi nulla erat observantia praeterquam loci, nunquam nisi legendo somnum cepit. Erat iuxta lectum candelabrum, ferreis laminis ita circumsaep-tum contra ignis pericula, ut candelas quacunque negligentia vel cadentes vel deturbatas exciperet. Undique in lecto libri ac temere circumiacebant. Cubiculi nulla dispositio aut ornatus, sed confusa omnia mixtaque inter se, in scamnis ac pavimento acervatim arma, codices, edulia, ferramenta, vascu-la et quicquid est utensilium domesticorum. A qua rerum confusione satis abhorrens quidam monuit, quod ordinem ac distinctionem adhiberet; ille ait: ad eos, qui venales res habent, eam cautionem pertinere, ut facile, quae desiderentur ab emptoribus, promere possint, se vero nihil habere venale.

L Modici erat somni semperque ante lucem surgebat atque orabat; divinis vero lectionibus absolutis, prout sese obtulisset liber, usque ad secundam diei horam legebat aut fabulas, aut historias, aut medicinas, aut rerum naturas. Nulla enim erat lectio, in qua praeter delectationem non inveniret aliquid, quod usui foret. A templo rediens ante prandium, apud quemcunque eum casus egisset, consistebat paulisper aut intra domum, aut pro foribus, adeoque familiariter omnibus, tam viris quam feminis, congredebatur, ut dederit occasionem plerumque pessimo cuique tam inexhaustam humanitatem suam maligne interpretandi. Fueruntque, qui eam vivendi libertatem aut libidinem aut ingenii vilitatem dicerent, cum natura et disciplina mirabili consensu in eum contulissent, quicquid magnum ingenium reddere potest, ad libidinem vero vires minime suppeterent non propter senium, sed

ex naturali debilitate. Cum enim natura eum hominem veluti destinatum ad virtutem produceret, illius voluptatis sensum ademit, quem sciret omnibus bonis artibus inimicum; eiusmodi autem oblocutiones incredibili animi magnitudine contemnebat, quippe qui, optima conscientia sua contentus, tranquillitatem vitae suae popularibus laudibus semper praetulisset. Eadem, quae ante prandium, erat in meridie quoque lectio, conversatio, consessus, fabulatio familiaris, si per civitatem ambulasset. Cum diceretur sibi, quod exemplo plurimum noceret, nam, qui viderent ipsum feminis tam facile palamque congredi, prout sunt ingenia prona ad malum imitandum, ad easdem consuetudines se conferebant: ego, inquit, mihi ipsi vivo, sed neque mala ingenia bono exemplo emendantur, neque bonas mentes flagitiosorum facta corrumpunt.

LI. Sed ut tanta probitas invenit inter suos, a quo carperetur, ita apud exterarum gentes maximo in honore atque admiratione fuit, ut compertum est ex desiderio sui, quod in Ungaria reliquit. Sed et Bohemi miserunt, qui exploraret, utrum facta eius famae consentirent. Fuitque dissimulatus aliquot dies ipsorum nuntius in Danubiolo, qui, ubi plura comperisset de hominis virtute ac bonitate, quam quae fama circumferebat, illorum, a quibus mittebatur, verbis ad Pragensem ecclesiam instaurandam eum allicere conatus est cum pollicitatione optimatum, qui bonis ecclesiasticis cessuros se asseverabant. Quam provinciam suscipere noluit, seu propter aetatem corpori diffidens, seu, ne id, quod regi suo negaverat, Bohemis postea concessisse videretur, seu, quod potius crediderim, quietem senectuti suae destinatae interrumpere cavens; nuntium tamen liberaliter tractavit, nec sine muneribus dimisit.

LII. Sed quod me mirare libeat: mira quadam novitate naturae sentiebat recreationem fessi ingenii post iracundiam, ideoque facile ac quodam consulto modo irascebatur usque ad obiur-

gationem familiae, quandoque etiam et in verbera prorumpebat. In ultima senectute stultitiam finxit, ut suorum consilia exploraret, et dies aliquot ea in simulatione permansit. Balnea et sudatoria raro frequentabat, quod naturae suae quodammodo adversari compererat. Raro aegrotavit, sed graviter et periculose, nunquam tamen medicum accersivit, herbarum sucis ac decoctionibus sibi ipsi succurrens, neque unquam sine libello 'de viribus herbarum'¹⁾ iter fecit: adeo persuasum habebat simplicia efficaciora esse in medicinis, quam composita. Conservabat corpus citra aegritudines aut negata sibi Venus aut fistula, quae per crus dextrum noxios humores e toto corpore educebat; cum enim vicesimum quintum annum ageret, vulnus allisione cruris acceperat, quod negligens ac rudis cura in fistulam converterat, quam postea nunquam claudere voluit, dissuadentibus physicis, sed contra omnem tumorem ac dolorem plumbo, aqua et alumine mundissimam semper servavit. Itineri obiendo nunquam tempus elegit, sed ut casus ferebat, noctu aut die proficiscebatur, etiam in quacunque aeris intemperie.

LIII. Lucubrabat matutino tempore scribebatque ad amicos, nunquamque librario usus est. Carmini aptior erat, sed et prosam inter prisorum novorumque stilum tam cultam scripsit, ut non solum <inter> omnes illius aetatis scriptores in regione sua excelleret, sed etiam admirationi esset. Ceterum cum multa scriberet, nihil ex eis in manus aliorum emittebat, seu quod sibi ipsi scribendo non satisfaceret, seu quod, quae scribebat, inferiora dignitate sua videbantur. Historiae tantummodo de evocatione Vladislai regis ad regnum Ungariae ac eius expeditionibus contra Turcos, quam duobus libellis explicavit, amicis quibusdam copiam fecit, nonnullorum etiam epigrammaton, praesertimque eorum, quae contra Fanniam nos-

¹⁾ Fortasse Macer Floridus De viribus herbarum. Cf. A. Ebert, Literat. d. Mittelalters, III. pag. 351.

tram per lusum iocumque scripsit, cum alias decus atque ornamentum civitatis suae ipsam profiteretur.

LIV. Fuit vero statura ultra iustam hominis mensuram procera et eleganti, corpore robusto et carne admodum molli; barba vero capilloque denso ac plano, oculis vivacissimis et claris, ut qui usque ad ultimam senectutem nullo adminiculo ad legendum uteretur, superciliis elevatis et spissis, nasoque ad grossitiem fastigato. In manibus peculiare robur habuit firmissimeque tenebat ea, quae semel apprehendisset. Ceterum cum pro corporis magnitudine manus egregia foret, aptissima et tereti proccritate digitorum honestabatur. Venter compositus, crura tenuiora, quam pro modo staturae; inter ambulandum rarenter adminiculo baculi utebatur, et nonnisi lubricitas itineris cogeret. In membris reliquis firmitas et aptitudo naturalis ad ultimum perseveravit, nullo aut incommodo aut foeditate senectutis deformata.

Non sibi, non alii cuiquam senectus sua gravis aliquando fuit et in paucis admodum humanae vitae necessariis alicuius unquam ministerium desideravit, adeo semper corpus et membra omnia in potestate habuit, usque ad annum septuagesimum, ad quam aetatem prospere et tranquillo admodum cursu, cum haec scriberem, pervenerat; sed, si humanarum necessitatum ratio apud Deum erit, ad utilitatem generis humani ipsum totidem annos in eadem felicitate servabit. Vale.

Opusculum hoc impressum est in typographia Universitatis Jagellonicae, provitore Iosepho Filipowski, typothetis Vladislao Theodorczuk et Carolo Topiński, typographo Ioanne Molecki, Cracoviae A. D. MCM. mense Aprili.

317
Wojewódzka Biblioteka
Publiczna w Opolu

CM KEK 317584



000-317584-00-0